

Werk

Titel: Copiosissima Evangeliorum Dominicalium Expositio

Autor: Bakius, Reinhardus

Verlag: Lungius; Schmidius

Ort: Lübeck; Schleusingae

Jahr: 1640

Kollektion: VD17-nova

Werk Id: PPN616188471

PURL: <http://resolver.sub.uni-goettingen.de/purl?PID=PPN616188471> | LOG_0019

OPAC: <http://opac.sub.uni-goettingen.de/DB=1/PPN?PPN=616188471>

Terms and Conditions

The Goettingen State and University Library provides access to digitized documents strictly for noncommercial educational, research and private purposes and makes no warranty with regard to their use for other purposes. Some of our collections are protected by copyright. Publication and/or broadcast in any form (including electronic) requires prior written permission from the Goettingen State- and University Library.

Each copy of any part of this document must contain these Terms and Conditions. With the usage of the library's online system to access or download a digitized document you accept the Terms and Conditions.

Reproductions of material on the web site may not be made for or donated to other repositories, nor may be further reproduced without written permission from the Goettingen State- and University Library.

For reproduction requests and permissions, please contact us. If citing materials, please give proper attribution of the source.


Contact

Niedersächsische Staats- und Universitätsbibliothek Göttingen
Georg-August-Universität Göttingen
Platz der Göttinger Sieben 1
37073 Göttingen
Germany
Email: gdz@sub.uni-goettingen.de

versa sapore, rubore, & calore cernitur: ita in discipulis quod erat insulsum, accepit saporem: quod erat pallens, gratia sumsit colorem: quod frigidum erat, incaluit immortalitatis ardore, & dum discipuli mirantur aquam in vinum mutatam, ipsi subito mutati sunt & conversi, ex vili scilicet gentilium superstitione in preciosam credentium devoionem. ¶ Ageremus hic, nisi alibi esset actum, *Per miracula non probantur oracula.* de Miraculis, præsertim cum Pontificius Bartscius tom. 2. p. 275. ex clausula hodierni Evangelii tale quid colligat: *Vnicuiq; Doctori, qui religionis formam, quam invenit (ut scilicet Lutherani invenerunt Pontificiam) proficetur innovandam, Necessaria est miraculorum operatio.* Sed probet hoc Papicola, vel occinemus ei Regulam: *Per miracula non probantur oracula.* Dicemus ei, cæcos esse Papistas, præ Christi discipulis, qui viso uno signo statim crediderunt, illi visis tot beneficiorum mirabilibus adhuc dubitant. Dicemus ei: Miraculis opus erat priusquam crederet mundus, ad hoc ut crederet mundus: *quisquis autem adhuc prodigia inquirat ut credat, magnum ipse prodigium est, cum toto mundo credente non credat, August. l. 22. de civ. D. c. 8.*

Dominica III. post Epiphanian:

Evangelium, Matth. 8.

 *Um descendisset autem de monte, sequuta sunt eum turba multa. Et ecce leprosus accedens, adoravit eum dicens: Domine si velis, potes me mundare: Protens aq; manu tetigit illum Jesus dicens: Volo mundus esto. Ac protinus mundata fuit illius lepra. Et dicit illi Jesus: Vide ne cui dixeris. Sed abi, ostende te ipsum sacerdoti, & offer*

offer munus, quod iussit offerre Moses in testimonium ipsis. Porro cum ingressus fuisset Iesus Capernaum, adit eum Centurio, obsecrans eum dicens: Domine, famulus meus decumbit domi paralyticus ac graviter discrutiatur. Et dicit illi Iesus: Ego cum venero, medicabor illi. Et respondens Centurio, dixit? Domine non sum idoneus, ut tectum meum subeas, imò tantum dic verbum, & sanabitur famulus meus. Nam & ego sum homo, alterius potestati subditus, & habeo sub me milites, & dico huic, vade, & vadit, Et alteri veni, & venit. Et servo meo, fac hoc, & facit. Hæc autem cum audisset Iesus, admiratus est, & ait sequentibus se. Amen dico vobis, ne in Israel quidem tantum fidei reperi. Dico autem vobis. Quod multi ab Oriente & Occidente venturi sunt, & accumbent cum Abraham & Isaac & Jacob in regno cælorum, filii vero regni ejicientur in tenebras extremas, illic erit ploratus & stridor dentium. Et dixit Iesus Centurioni, Abi, & quemadmodum credis, ita fiat tibi. Et sanatus est famulus eius in illa hora.



Sal. 19. v. 6. & 7. pulcherrimum illud cœli de- Exord. 1.
 cus, Solem, ita depingit David: *Soli posuit tabernaculum,*
& ipse tanquam sponsus procedens de thalamo suo, exultavit ut
Gigas ad currendum viam, à summo cœlo egresso ejus & cir-
cuitus ejus usq; ad cœli extremitatem, nec est qui se abscondat à calore ejus.
 Allegoricè in his describi Christum Servatorem, illum *justitie Solem,*
 Mal. 4. *mundi lucem magnam,* Joh. 1. *ex alto orientem,* Luc. 1. rectè Pa-
 tres sentiunt. Ut enim (1.) soli David assignat *tentorium vel tabernacu-*
lum, quod est tota cœli machina amplissima, quæ condita videtur pro
 solis habitaculo: Sic Christus ab omni æternitate *thalamum* habuit &
tabernaculum in sinu patris æterni, Joh. 1. v. 18. in domo Patris sui, ubi
 mansiones multæ, Joh. 14. v. 2. in luce illa inaccessibili, quam Deus
 inhabitat, 1. Tim. 6. v. 16. Ut (2.) de sole refert David, quod *procedat*
 è thalamo suo, *ceu sponsus* pulchre ornatus, omnium in se convertens
 oculos: sic & Christus in cœlis non mansit, sed inde prodiit & mundo
 se manifestavit, non ut magnificus creator, nec ut judex terribilis, sed
 specie amicâ & placida, *ut sponsus,* genus humanum sibi desponsaturus
 & æternæ beatitudinis paraturus nuptias, Eph. 5. Matth. 22. Ut (3.)
 solem David confert: *Giganti* indefesso, robusto & pedibus veloci: sic
 & Christus est fortissimus ille Heros & *gemine Gigas substantia,* qui pro-
 pterea cœlos est egressus, ut Diabolum regno & armis exueret, Luc.
 11. ut infernum confringeret & mortis deleteret aculeum, Osè. 13. 1.
 Cor. 15. utq; pedibus suis robustis caput Draconis infernalis contere-
 ret, Gen. 3. Ut (4.) soli assignat David cursum alacrem, *exultantem*
 & velocissimum, quo ab una parte cœli ad alteram currat, nec defati-
 getur, licet fiat quotidie, id quod Propheta nuncupat: *Viam:* nec mo-
 dō viam levem, sed *Orach* viam vel iter benè longum: sic &
 Christus alacris fuit, ut curreret viam suam, & sanè de itinere ejus
 prolixo satis superq; testatur missio in carnem, descensus ad inferos,
 ascensio in cœlum, sessioq; ad patris dexteram, de qua viâ suâ ipse sic
 loquitur: *exivi à patre & veni in mundum, iterum relinquo mundum & va-*
do ad patrem, Joh. 16. v. 28. Tandem (5.) ut David soli, lucido illi mun-
 di oculo, omnia qui cernit, per quem videt omnia tellus, adscribit
 generalem quandam vim & facultatem *navis in levi,* qua aërem, maria,
 & terras totumq; mundum, usq; adeo compleat, *ut nemo se abscondere*
queat à calore ejus, ne dum metalla, quæ sol in ipso etiam telluris gremio

fovet & concoquit : sic & Christus illuminat omnem hominem in mundum venientem, Joh. 1. modo non sit, qui omnes animi sui rimulas obstruat, & gratiæ divinæ radios admittere malitiosè nolit, eò enim *abscondendi* verbum, quo hoc loco Spiritus S. aptissimè utitur, D. Basilius refert. Omnia hæc præsentì tempori pulcherrimè conveniunt, cum hætenus audierimus, quomodo Christus *atermitatis thalamum* egressus, Mich. 5. Bethlehemi natus sit & nobis sese manifestarit, non ut iudicem, sed *ut Sponsum* placidissimum, attamen ut *heroa* simul & gigantem fortissimum, Esa. 9. *exultantem* & ad currendam viam suam tam alacrem, ut procul dubio in allegatum Davidis dictum mentis suæ oculos converterit D. *Ambrosius*, ex cujus hymno hætenus cecinimus:

*Procedens è thalamo suo,
Budoris aulâ regiâ,
Gemine gigas substantiæ,
Alacris ut currat viam.*

*Egressus ejus à patre,
Regressus ejus ad patrem,
Excursus usq. ad inferos,
Rekursus ad sedem Dei.*

Nec hoc tantum, sed quomodo radios gratiæ suæ per totum omninò mundum illum justitiæ Sol diffundat, similiter hoc audimus tempore, sparsit hætenus radios *in Iudeam* per nativitatem, sparsit *in Orientis plagam* per stellam & Magos, sparsit *in Egyptum* per fugam, sparsit *in templum* disputando, sparsit ante oſtiduum *in Galileam* nuptias adeundo, nunc altius quasi ascendit illud cœleste jubar & hodie Judæis pariter ac gentilibus inservit, *Judeus* à lepra mundatur, *gentilis* exauditur, *alter pro sese, pro servo supplicat alter*, uterq; auxilium sentit promissimum, sicq; hætenus à calore gratiæ Christi nemo fuit absconditus. ¶ Vel assumas dictum sponsæ Christi, dicentis de amico suo: *Labia ejus stillantia rosas & myrrham primam, manus ejus tornatiles, plene annulis aureis ac hyacintis*, Cant. 5. v. 14. Depingitur enim his verbis, & concionum M. sſiæ *ſvavit* & *miraculorum ejus claritas*. I. Labia Christi non exhalabant tetrum odorem hæreseon & errorum, quemadmodum Phariseis, Sadducæis & aliis ita ora animæq; scetebant, eeu sepulchra, Matth. 23. sed spirabant odorem veritatis *ſvavissimum*, stillabant labia Christi *rosas*, quando ille Evangelii doctrinam suis proposuit auditoribus, eosq; eeu rosis refecit & liliis *ſvaveolentibus*: *Myrrham* autem primam & optimam Christi fuderunt labia, quando ille legis amaritudinem hominum cordibus infudit, & multoties probavit, se non venisse legem

Exord. 2.

solvere, sed implere, Matth. 5. II. Manus Christi verè erant *tornatiles & aureis plena annulis ac hiacynthis*. Ut enim tornatura cæteris artibus promtior est & expeditior, ita Christus facere potuit promtissimè omnia quæ voluit in cælo & in terra, Psal. 115. utq; annulis exornantur manus & sunt in eis hiacynthi vel Sapphiri. [Luth. vertit *ἑὐδαίμων*] æreï, ætherei & cœlici coloris: Sic Christus Servator manus suas omnipotentes infinitis exornavit miraculis, cœlestibus planè & divinis de quibus ipse Nicodemus: Scimus te Magistrum à Deo doctorem missum, & nemo potest illa facere signa quæ tu facis, nisi Deus sit cum ipso, Joh. 3. v. 2. Et taliter verè manus ac labia Christi describit Evangelista Matthæus: capitibus 5. 6. 7. 8. vides depicta Christi *labia*, & rosas spirantia & myrrham, quando videlicet ille in monte quodam Galilææ ex Lege & Evangelio concionem satis prolixam habuit, jam autem in 8. & seqq. capitibus sequuntur *manus Domini tornatiles*, annulis ornatae aureis & hiacynthis, dum de miraculis cœlestis Sponsi agere Evangelista incipit. ¶ Vel tractes causas, cur Christus primariis suis concionibus ut plurimum subjunxerit miracula, tali exordio. Dicit Cleophas in colloquio itineris Emauntici, fuisse Christum crucifixum Prophetam, potentem *ἐν ἔργῳ ἢ λόγῳ* in verbis & operibus coram Deo & omni populo, Luc. 24. v. 19. quibus verbis ut describuntur, & Domini conciones & miracula, ita non immeritò quæritur, cur Christus potens esse voluerit non modo verbis ac concionibus, sed & operibus, signis ac miraculis? Causæ sunt primariæ, (1.) Ut incredulis succurratur. Equidem credentibus solum verbum sufficit, sed increduli solo Christi verbo usq; adeò contenti non sunt, ut Regulo dicatur Capernaitico: Nisi signa videritis & prodigia, non creditis, Joh. 4. unde & Apostolus dicit, non credentibus sed incredulis data esse signa, 1. Cor. 14. hincq; factum, ut Christus ad signa non raro provocarit, incredulis dicens Judæis: Si non facio opera Patris mei, nolite mihi credere, si autem facio & non vultis mihi credere, operibus credite, ut cognoscatis, quod pater in me est, & ego in patre, Joh. 10. v. 37. Ut (2.) ministerii Ecclesiastici partes depingantur. Ut enim Christus suos informavit auditores non verbo tantum, sed & opere, ita hodieq; non tam verba volunt mortales quam exempla, quia loqui facile est, sed præstare difficilimum juxta Augustinum, hincque certum est Theologiam in affectu potius & opere, quam in cognitione consistere, unde Paulus

Exord. 3.

monet, ita aliis prædicandum, ne ipsi fiamus reprobi, 1. Cor. 9. Ut (3.) nostrum officium delineetur. Ut enim Christus Prophetam se potentem probavit, non verbis modo sed & operibus: Ita similiter non verba sed facta Christianum coronant, nec λέγειν μόνον, ἀλλὰ καὶ εἶναι ποιεῖν ἁγίων, non dici tantum sed esse facit Christianos, Justino monente, vultque propterea Servator alibi, ut luceat lux nostra coram hominibus, & illi opera nostra videant, Matth. 5. Tandem (4.) dictus erat Messias, non modò Consiliarius, sed & Fortis, Elai. 9. ut Consiliarius omne consilium Dei in concionibus suis patefacere nobis voluit, ut El ac fortis Deus pertransiit benefaciendo & sanando à Diabolo oppressos omnes, quia Deus erat cum illo, Actor. 10. v. 38: Intellexit hoc Matthæus, ideò. descriptâ montanâ concione Christi satis prolixâ, pergit jam ad miracula, & imitatur Evangelistam Ecclesiâ, circa hoc tempus paulatim etiam inchoans Christi miracula, quomodo videlicet in templo duodennis miraculose tumidos sophistas vicerit, quomodo aquam in vinum mutavit, quomodo leprosum ac Centurionis famulum sanavit, quomodo turbulentum tranquillavit mare ejusque compescuerit ætus, &c.

Cum autem descendisset de monte. ¶ Putatur hic mons fuisse Thabor in medio Galilææ situs, indeque illius regionis Umbilicus, ob decentem verticis rotunditatem, dictus, teste Josepho l. 4. de Bol. Jud. c. 2. Potuit Christus ex hoc monte præcelso admodum, contueri, tribus Naphthalim & Sebulon; Mare Tyberiadòs; regiones Itruream & Traconitidem; Montes Libanon, Sanir & Hermon illi vicinos, nec non oppida Capernaum, Bethsaidam, Magdalam, Corazim, Juliam, Gadaram, &c. monstratur hodieque peregrinantibus lapis quadratus, cui Christus in hoc monte vel orans vel docens insederit, Bernh. Breitenbach / Das war der Berg Thabor / ein Stück vom grünen / lustigen vnd mit langem Grass bewachsenem Berg Hermon / worauff wenn der liebe Herr offte die ganze lange Nacht (Luc. 6. v. 12.) gebetet hat / wenn er darauff verkläret ist / Ja wenn er dieses Orths seine herrliche vnd ausführliche Doctorat. Predigt gehalten / Matth. 5. 6. 7. Da ist rechtschaffen der liebliche Himmels. Thaw herab gefallen / vom Berge Hermonim / Psal. 133. Da haben Hermon vnd Thabor gejauchet in seinem Namen / Psal. 88. ¶ Observa hic, allegorian hujus descensus Christi de monte valde jucundam, Descendit enim Dominus

Allegoria descensus Christi.

& sanat leprosum ascendere quasi non valentem, pari modo, quos spiri-
tuali lepra deformabat, quos delictorum sarcina deprimebat, illi nec ad Deum
ascendere, nec montem Domini sanctum, occupare poterant, ceu in Israelitis
præfiguratum, Exod. 19. v. 23. Christus itaq; misertus nostri, descendit; descen-
dit in hominis forma se exinanendo: descendit nostram miseria compatiendo: de-
scendit nostram infirmitatem in se suscipiendo, unde Prophetæ: Verè languores
nostros ipse tulit, &c. Ardens. De monte descendens Moses ob Israelita-
rum *μορολατρείαν* valdè irascitur & decalogi confringit tabulas, quia
lex iram operatur, Exod. 32. Rom. 4. Sed de monte descendens Chri-
stus leprosum placidissimo intuetur vultu, Evangelica enim CHRISTI
doctrina peccati lepram pellit, &c.

Sequebantur eum turbæ multæ.] Syrus: circumdederunt
eum turba multæ, Glossa Ordin. addit: Sequebantur alii propter charita-
tem, ut discipuli, alii propter doctrinæ suavitatem, ut peccatorum mole pres-
si, alii ob curiositatem, ut Pharisæorum discipuli, alii propter curationem
ut infirmi, quibus noster leprosus meritò annumeratur. ¶ Observa
autem & hîc mysterium jucundissimum: Dominus certè quamdiu in
angusto illo & sublimi divinitatis suæ Monte ita resedit, ut ad nos per susceptio-
nem minimè descenderet, pauci eum sunt secuti, pauci fuerunt qui illum pro be-
neficiis diligenter, colerent, venerentur; ac cœlos ubi ille inclinavit ac descendit,
ubi à majestate & severitate descendit ad lenitatem, secuta sunt eum turbæ mul-
tæ, cum Servator stupendâ suâ humilitate hominum ad se cordâ & oculos per a-
morem traxerit ita; ut Johannes dicat se vidisse agnum Dei in monte
stantem, quem secuti 144000. Apoc. 14. v. 16. Sequamur itaq; & nos:
Christum si non Ascendendo, saltem descendendo; si non potes sequi Christum mi-
raculosè jejunantem, ipsius saltem sequere vel imitare sobrietatem: Si non potes
Christum totis noctibus orantem sequi, aliquot saltem horulis diurnis orationi
vacare, imò si non potes sequi ipsum Christum, sequaris saltem illos, qui Christi ve-
stigiiis studiosè insistant, juxta illud: Estote imitatores mei, sicut ego Christi, 1.
Cor. 11. Ardentius in hac allegoria talibus utitur: Quid est fratres mei, quod
Iesum de monte descendente secuta sunt turbæ multæ? hoc est, quod Iesum de
cælo descendente, multi populi multaq; nationes sunt secutæ. Si enim in cælo
semper maneret nullus eum sequeretur, nullus enim cognosceret, nullus amaret,
quomodo namq; tardus sequeretur incomprehensibilem, quomodo hebes cogno-
sceret invisibilem, quomodo frigidus amaret incognoscibilem? quia verò pius &
misericors Dominus descendit & condescendit infirmitatibus omnium, hinc se-
cutæ.

cuta sunt eum turba multa, quae rudes, egeni, peccatores, infirmi. Rudes quia non iridebat sed erudiebat illos: Egeni, quia non subsannabat sed pascebat eos: Peccatores, quia non rejiciebat sed absolvebat illos; infirmi, quia non fastidiebat sed sanabat illos.

Ecce quidam leprosus.] Omnia hic notatu digna: Vestibulum (1.) miraculi est particula: E C C E, cum mirabile omnino & singulare sit, quod hic leprosus, spreto legis interdicto, Christum immundus accedit propius, nihil attendens, an aliqui ipsum horreant nec ne, audierat enim Messiam inter reliquos etiam morbos lepram curaturum. Esa. 35. hinc posthabita lege accedit Medicum, Er dringt ihn / *Glauben durch / quia necessitas non habet legem, Der Lieb und Noth / müssen weichen alle Gebot.* Morbus (2.) nostri supplicantis est *Lepra*, malum sane horrendum & abominabile, carnem ad ossa usque rodens, Num. 12. quod olim Germanis ignotum fuisse Galenus testatur, fortasse etiam Italis ante Pompejum Magnum, qui primus lepram ex Aegypto ad Italos detulit, namque, ut Lucretii Versus habent:

Est Elephas morbus, qui propter flumina Nili

Gignitur, Aegypto in media, nec praterea usquam.

Unde verisimile est, quosdam ex Israelitis etiam contagioso illo Aegyptiorum morbo fuisse inquinatos, licet alii intemperantia illum, alii vero aliis peccatis causarint, fuitque in populo Dei morbus hic plane desperatus & incurabilis, teste Israelitarum Rege, qui dicebat: Summe ego Deus, ut vivificem & mortificem h. e. ut leprosum sanem Naemanum, 2. Reg. 5. v. 7. Nomina (3.) hujus mali varia sunt: Graecis & Latinis lepra dicitur *λεπρω*, quod est *caudē q̄ excorio vel desquamō*, *Denn es macht die Haut reudig / schiebig / schuppig / gnehtig vnd frehtig /* quamvis alii deducant *λεπρω*, q. e. *Veneri intemperanter servire*, Athen. l. 4. Hebraei *Zaraath* dicunt lepra, vel à *רצח* *Razah*, *corrodere, perfodere*, vel ab *רצח* *Araz*, *conterere, frangere*. Syris haec plaga *Garba* dicitur à *vastatione*: Per se hunc morbum dixerant *θεῖον* *divinum vel divinitus immissum*, illis scilicet qui contra magnum Solis numen peccassent, Herodot. l. 1. Aliis à cute summe scabra & aspera *Elephantiasis* dicitur: Aliis *Cancer* corporis totius: aliis morbus *Leoninus* à truculenta & inflata leproforum facie: Aliis morbus *S. Lazari*: Galenus lepram *Satyriasin* vocat, quia leprosi os semper apertum habent ceu ridentes, Satyri autem ut ridentes olim pingebantur: Germanis à separatione & contagio leprosi dicun-

dicuntur *sepositi*: *Auffäſſige* / *Sonder Sieche* / *Feldſieche*. *Conditio leproſorum* (4.) V. T. tempore, valdè erat miserabilis, vestes erant dissolutæ, quia peccatores spirituali leprâ infecti iustitiæ amictu carent, *Esa. 59. v. 17.* Caput erat apertum, quia peccatores nudi sunt, carent Spiritus S. donis, omni confusione pleni, *Ezech. 16. v. 17.* Os erat velatum, quia peccatores ad preces os semper clausum habent & labia ac halitum foetentem, *Pf. 5. v. 10.* Domicilium fuit remotum, quia peccatores exclusi sunt à regno Dei, *Gal. 6. v. 21.* Indicare tenebantur immunditiam vel clamore vel strepitu, quia peccatorum clamor de animi cruciatibus & corporis angoribus erit perpetuus, *Luc. 6. v. 25.* Peccata (5.) atrocissima olim Deus lepra punivit, cum hoc malum senserit, ob superbiam & altercandi libidinem Miriam, *Num. 12.* Ob furtum & fraudulentiam Gehasi, *2. Reg. 5.* Ob πολυπραγμοσύνην Rex Uſia, *2. Paral. 26.* Ob mentem sanguinariam Iob, *2. Sam. 3.* quia Deus leprâ lepram (atrocia peccata) puniit, juxta Augustinum, unde facile liquet, ærumnosum hunc leprosum insignem fuisse peccatorem, quia non modo leprosus dicitur, sed *ἀλεγεῖς, λέπρας* plenus leprâ, *Luc. 5.* vel ut Syrus: *Plenus omnino leprâ*, infectus non in manu sola, ut Moſes, *Exod. 4.* vel fronte, ut Uſia, *2. Paral. 26.* vel dimidia carnis parte ut Miriam, *Num. 12.* Sed toto corpore internè & externè. ¶ *Obſerva hic Theologos ut plurimum le-* *Lepra peccati*
fontis, quia ex parentum corrupto & semine est & sanguine, *Pfal. 51.* (2.) *ratione originalis typus.*
ratione magnitudinis, extra Christum enim peccati lepra incurabilis, *Jer. 30. v. 17.* (3.) *ratione contagii & infectionis*, quia ab Adamo in omnes propagatur posteros, *Rom. 5.* (4.) *ratione deformitatis*, quia reddit nos abominabiles, *Pfal. 14. v. 1.* (5.) *ratione depravationis*, quia omnia membra omnesque hominis vires in boni studio impedit, *Rom. 7. v. 18.* (6.) *ratione separationis*, nos enim & Deum nostrum sequeſtrat, ne exaudiamur, *Esa. 49.* (7.) *ratione furoris*, grave colentia enim ante Deum est peccatum, *Joel. 2.* (8.) *ratione pruritus*, quia otiosum non est, sed titillat, & ad omne malum incitat, *Harm. Chemn. c. 52. p. 7. 8.* Nec modo originale, sed & actuale peccatum lepræ malum depingit, in V. enim T. triplicis lepræ fit mentio, hominum scilicet, *adium & vestium*, *I. ev. 13. v. 14.* Hodie leprosa sunt illorum corpora, qui membris ad peccandum, ceu injustitiæ membris, abutuntur, *Rom. 6. v. 13.* Leprosas vestes hodie gestant superbi, *Luc. 16.* olim leproſorum vestes comburebantur, utinam temporalis igne exui posset omnis ille luxus & fastus qui committitur vestitu.

Vt & animalis.

fitu, ne flamma aliquando infernali exuratur, juxta illud Prophetæ: *Dies Domini visitabit omnes, peregrinam vestem gestantes*, Soph. i. v. 7. Leprosæ autem hodie sunt illorum ædes, qui vel sua dilapidant, welche Weis vnd Kind vmb Hauß vnd Hoff schleimmen / verpfenden alles / vnd machens auffsehtig / wirds aber auffsehtig oder verfehlig / so friegts wol gar die Poflen / vnd sömpt nimmer wieder / ut ille. Vel qui domum proximi concupiscunt & dolo malo ædes suas amplificant, Esa. 5. &c.

Procidens adorabat illum.] Quæritur (1.) ubi leprosus Christum convenerit? videntur enim hic Evangelistæ discrepare, cum Matthæus dicat sanatum leprosum antequam Capernaumum Dominus ingrederetur: Lucas autem refert in quadam civitate hoc esse factum: Marcus addit, cum hæc fierent, in Synagoga Christum prædicasse. Jam vero leprosis non erat concessum ingredi civitates, Lev. 13. Num. 5. qui ergo hic leprosus in urbe convenit Dominum? Sunt qui existimant leprosum expectasse, donec Christus civitate egrederetur, sed repugnat hoc Matthæo, qui narrat Dominum Capernaumum jam non egressum, sed ingressum. Dicendum itaque, vel leprosum ex firma animi fiducia legis repagula perrupisse & posthabito interdicto Christum accessisse: vel per civitatem more Hebræorum hic intelligi civitatis etiam agrum & totum tractum ita, ut leprosus sit sanatus in quodam quasi suburbio Capernaïtico, hinc Bunting. in marg. Harm. suæ p. 29. dicit inter Galilææ montem & Capernaum situm fuisse exiguum quoddam oppidum. (meines erachtens / inquit, eine Vorstadt der grossen Stadt Capernaum) in quo leprosus noster sit sanatus. Et in Itin. part. c. 2. p. 19. refert, à Galilææ monte, circiter passus 30. situm esse fontem, aquas fundentem vivas, muro cinctum, qui fons Josepho dicatur Capharnaum, una cum toto illo tractu, qui ab hoc fonte Capernaumum usque ducat; Et ligt nicht weit von der Stadt / vnd wird das ganze Feld vmb diesen Brunnen biß an Capernaum vnd vmb die Stadt her / alles Capernaum genennet / quod itaque in hoc tractu factum, Lucas *et dicit* ad ipsam civitatem refert, quemadmodum etiam de Josua dicitur quo I viderit Angelum in Jericho, cum tamen in agro ille steterit, Jos. v. 13. *post descensionem Domini de monte quantum intervallum fuerit antequam Capharnaum intraret, non patet, in ipso autem intervallo leprosus sanatus est*, Gloss. Ordin. in c. 8. Matth. & jucunda ibi additur ratio, cur non sit expressus certus curationis locus, ut videlicet ostendatur, *non unum saltem*

saltem populum unius civitatis, sed OMNES sanaturum Christum. Variant (2.) Evangelistæ in descriptione gestuum leprosi. Matthæus dicit ipsum adorasse Dominum. Marcus in genua ipsum procidisse vel Christi genibus advolutum esse: Lucas in faciem ipsum prolapsum. Sed conciliatio facilis est, si dicas cum devotione leprosi, gestus etiam crevisse, Er fellt erstlich aus warer Demuth auff seine Knie/ darnach gar auff's Angesicht/ vnd betet den Herrn an. Aretius (3.) hic describi putat, non adorationem devotam, sed reverentiam saltem civilem Orientalibus usitatam, quâ leprosus honorificè Christum salutarit, ut eximium Dei Prophetam. Videtur consentire Syrus, qui pro adoravit habet, *ἴψ̄ Segar incurvavit se*: ut & Gloss. Interlin. quæ dicit, adorabat h. e. cum humilitate postulat: nec non consensus Evangelistarum ex quibus Marcus & Lucas adorationem videntur exponere per genuflexionem & faciei occultationem. Sed reclamatur, tum verbum *προσκύβειν*, quo Græci verterunt Hebræorum *חָשַׁח* Schachach in curvavit, quod significat talem totius corporis prostrationem, quâ in cultu divino usi sunt Judæi, sic Moses dicit: Ne videas Solem, Lunam & stellas, ut errore deceptus *προσκύβεις αὐτοῖς, adores ea*, Deut. 4. v. 19. sic David: Exaltate Dominum Deum nostrum & adorare (*προσκύβετε*) scabellum pedum ejus, Psal. 99. v. 5. tum Gloss. Ordin. quæ dicit: priusquam peteret divinitatis cultum præmisit. Tum ipsa leprosi petitio, quam Origenes ita exponit: Domine si vis, h. e. Domine tu dignè adoraris, tu meritò coleris, te ego ut Deum adoro adeoq; te Dominum dico. ¶ Observa hic I. Christum secundum humanam naturam in unione personali meritò adorari. Licet enim hoc differtis verbis negent. Lamb. Danaus in Chemn. Exam. p. 416. Beza in Colloq. Momp. p. 262. Sadeel de verit. hum. nat. p. 142. & pro dente Pareo, omnes Calviniani, qui licet quandoque dicant, se unâ fide credere in totum Christum, & una adoratione se invocare totum Christum, addunt tamen, se naturas discernere, & utramque adorare, at non uno gradu & respectu, in Iren. p. 144. Subtilia hæc videntur Pareo, sed futile sunt, agitur enim hic de objecto religiose adorationis, quod nos dicimus esse totum Christum Deum & hominem, juxta Pareum autem, si Calviniani personas discernunt in adoratione, jam duplex faciunt adorationis subjectum, & sic Christus duos, unum sic adorabilem & alterum sic, quod Nestorianum, Nostri certè Magdeburgenses Cent. 4. Col. 350. referunt, Arianos quidem dixisse Christum in carne non esse adorandum, sed

Totus Christus
unâ adoratione
adorandus.

Athanasium Orat. 5. contra Arjan. probasse non modo exemplis hæmorrhousæ & cæci nati, sed cum primis nostri leprosi carnem Christi omninò adorabilem. Et profectò exteriori illa humiliatione ac incurvatione hic opus non fuisset, si solam divinam naturam adorare nosster leprosus voluisset, quia Christus Deus, interiores leprosi affectus aliàs exploratissimos sibi habuit. Nos ergò cum leproso, cum hæmorrhousa, cum cæco nato, & aliis adoratione una totum Christum adoramus & cum Athanasio ex dicta oratione sic statuimus: *Qui verbum carne in factum adorare nolunt, ingratos se exhibent ejus humanitati: Qui vero verbum à sua humanitate distrahunt, nullam omninò redemptionem peccati aut mortis vastationem existimant. Et ubi quæso tandem nefarii seorsim per se invenerunt illam carnem, quam Salvator noster Iesus Christus assumpsit, ut audeant dicere, non adoramus Christum cum carne, sed distinguimus (vel ut Paterius discernimus) corpus, illiq; soli cultu inservimus? qui fieri posset, ut corpus Domini undiquaq; sanctissimum, à Spiritu S. formatum amiculumq; λόγῳ Dei, non sit adorabile?*

Ἀρτολατρεία
Papistarum re-
pudiata.

¶ II. Observa malè Papistas adorationem nostri leprosi accommodare ad suam theatricam Ἀρτολατρείαν, dicunt latrionem nunquam prohibuisse Christum, sed semper admisisse, cum adoratus sit, in præsepio à tribus regibus: in domo à Cananæa: in cruce à latrone: in civitate à latro: in platea à leproso, quem Catholici imitentur, coram Eucharistia procedentes similiter, tum ad aram, tum in plateis & omnibus aliis locis, Hæreticos vero insanire, qui speciale adoranda Eucharistia requirant mandatum, cum tamen nec leproso nec Centurioni peculiariter fuerit mandatum, quod Christus adorandus sit in platea, Coesterus conc. part. 2. p. 313. 314. 315. 336. Bartscius Tom. 2. p. 298. 314. 416. Resp. Christum (1.) ubique fatemur adorandum & in Eucharistia & in platea, non autem sequitur simul illud adorandum, cui quidem præsens est Christus, hinc nec præsepium Magi, nec donum Cananæa, nec crucem latro, nec civitatem nosster Jairus, nec plateam leprosus, &c. adorarunt. Christum (2.) in tota totius Eucharistia actione adorandū, ut quem ibi præsentem verè credimus, non negatur, sed solus Papistarum panis, inclusus, circumgestatus, adoratus num Eucharistia dicendus? In plateis (3.) adorandus etiam Christus est, 1. Tim. 2. sed tamen juxta ejus præscriptum, non tintinnabulis & pompâ theatra, sed in spiritu & veritate, Joh. 4. aliàs Pharisei etiam in plateis stantes orabant & tamen illorum precibus parum Christus delectabatur, Matth. 6. v. 8.

Domine si vis, &c.] Omnia jucunda, licet enim ex hodierno etiam

no etiam Evangelio Papistæ probare conentur invocationem Sancto-
rum, siquidem pro Centurione Judæorum seniores intercesserint, Luc.
5. ut postea audiemus, leprosus tamen hic adorat nec *Mosen*, nec *Iobum*,
nec *Naemanum*, vel alios à lepra & scabie olim aut liberatos, aut alios li-
berantes, sed Christum, quem Esaias lepram pulsurum prædixerat, Esa.
35. quem Moses Dominum Medicum nostrum nominarat, Exod. 15.
v. 26. quemque omnia leproforum sacrificia & oblationes præfigura-
bant, ut suo loco mox percipiemus, ideò noster dicit: *Domine, Tu dignè*
adoraris, tu meritò coleris, juxta Orig. *petatur Domine à Te, sic accipietur, qua-*
ratur in Te, sic invenietur, pulsetur ad Te, sic aperietur, Aug. Addit. (2.) lepro-
sus: *εὰν θέλῃς, si velis vel volueris*, imò Marc. I. v. 40. *ὁτι εὰν θέλῃς, quod si*
volueris *POTES, δύνῃ σου efficax es, du bist kräftig / du bist mächtig / Luth-*
erus addit particulam benè vel facilè, Du kannst mich wol reinigen / du
kannst mich leichtlich reinigen / Quia Dei voluntas Dei opus, sub voluntate pò-
testas latet, Orig. Notetur (3.) infirmitas nostri supplicantis. Licet
enim sanationis suæ opus in manus Christi omnipotentes resignet di-
cens: *si vis*, sic tamen orationem informat, ut manifestè deprehendatur,
declinare ipsum in alteram partem, quod scil. cupiat mundari, adversa-
tivum enim omittit, nec dicit: *si non placet, vel si non vis, volo manere ut*
jam sum. Est hoc infirmitatis, quod tamen Christus suffert, ut Domi-
nus maximè longanimis, David certè pleniori fide præditus erat quan-
do dicebat, 2. Sam. 15. v. 25. Si invenero gratiam in oculis Domini, re-
ducet me, si autem dixerit mihi, non places, præstò sum, faciat quod bo-
num est coram se. ¶ Observa hîc I. Licet nos certitudinem gratiæ &
salutis in credentibus meritò urgeamus & dubitationem Papisticam
plane rejiciamus, ob dicta Eph. 3. v. 12. Heb. 11. v. 1. Jac. 1. v. 6. & exempla
Abrahami, Rom. 4. Davidis, Psal. 25. v. 1. Pauli Rom. 8. v. 37. Phil. 1. v. 19.
2. Tim. 1. v. 12. & c. Bellarminus tamen l. r. de justif. c. 8. dicere audet de
nostro supplicante: *Ambigebat leprosus de speciali misericordia, alioqui non*
dixisset: Si vis, & tamen impetravit, quod petiit: Stapletonus etiam in Prom-
tuario dicit, leprosum *dubitanter* locutum, & in genere omnipotentia
& misericordiæ Christi sese permisisse, *sine ulla tali certitudine, qualem sin-*
gant heretici, pag. 378. Verùm & Bellarminus & Stapletonus causæ fallaci-
am turpiter committunt, cum non dubitanter, sed tam magnâ *αδυνα-*
μοφωσει oret leprosus, ut posthabito legis interdicto fortiter perump-
pat, ac Christum quam proximè accedat. Particula itaque *Si vis* con-

*Leprosus non
dubitarvit.*

firmat res spirituales sine conditione, corporales verò cum conditione divinæ voluntatis & nostræ salutis petendas, ut jam dicemus. Concioni, quam in monte Christus habuerat, interfuisse leprosum licet è longinquo, ut Chemnitius sentit, tractarat Dominus inter alia locum de precibus, didiceratque leprosus corporalia & spiritualia cum discrimine petenda esse, hæc videl. sine conditione, illa verò cū conditione propriæ utilitatis & divinæ voluntatis, hinc dicit leprosus: *Domine si vis, q. d. scio quod possis, sed an mihi salutare & tibi gloriosum, hoc ignoro, quare fac, quod bonum tibi videtur in oculis tuis.* Consentit Glossa Ordin. De voluntate non quasi incredulus dubito, sed quasi colluvionis meæ conscius non presumo. Consentit Chrysost. hom. 21. oper. imperfect. Non de voluntate Christi dubitat, sed de iudicio voluntatis, quia Christus cum sit bonus, nociva non vult prestare licet rogetur: cum ergò leprosus nesciat, utrum sibi expediat curatio, ideo non dubitans, sed ignorans dicit: *Domine si vis.* Consentit Beda: *Sunt verba non dubitantis sed sese humiliantis, quia potentiam leprosus CREDIT, voluntatem autem sperat, cum de seipso desperat.* Consentit Theophylact. Non dicit si Deus deprecatu fueris (ut Naeman, 2. Reg. 5.) sed si vis quasi ipsum CREDENS Deū. Imò consentit ipse Granatensis dicens, hæc verba non dubii sed fidei esse, cum non dicat leprosus: *Si quid potes adjuva nos, miseris nostri* (ut Lunatici patens, Marc. 9.) sed id solum dixit, quod uni tantum Deo competit, nempe *si vis potes, solius quippe Dei est parem voluntati habere potentiam, juxta illud subest tibi, cum volueris, posse* (Plal. 115.) Consentit Juvenc. l. 1. de Evang. histor. v. 769. Sufficiat voluisse tuum: *Qui autem voluntatem rogat, de virtute non DUBITAT, Hieron. in Matth. SCIO, quia omnia potes, ideo non potentiam peto nec fortitudinem quero, ut homines novi deficientes, sed tantum voluntatem tuam deprecor & sequens virtus statim hanc gratiam adimplebit, Orig. Hac sententia: Si vis, non plus quid de Christo peteret prodidit, quam quid crederet publicavit, Sidon. Apollin. l. 6. Epist. 1.* ¶ II. Observa, licet Calvinus dicat, hic non contineri petitionem, sed saltem potentiam Christi agnitionem, reclamant tamen, & Lucas quando dicit leprosum ROGASSE Christum *ἐδέξην*, & Marcus, quando utitur voce *ἠρώκων* dicens: *cum obsecratione petebat.* Statuimus itaque leprosi supplicationem omninò esse precatorem, & quidem veræ precatorem SPECULUM pellucidissimum, in quo conspicitur (1.) accurata Christi notitia, ideo dicit leprosus: *Domine, Syrus: Domine Mi,* procul dubio attendens Prophetæ illud: *nomina habunt eum, Jehovah Zitkenau, Dominum justitia nostra, Jerem. 23.*

Speculum vera
precatorem.

conspicitur hic (2.) laudabilis patientia, *Domine si vis*, patienter divinæ voluntati se committit, dicens quasi: Fiat voluntas tua, conspicitur hic (3.) fides sincera, quæ omnipotentia Christi innitur: *Potes*, conspicitur hic (4.) humilitas egregia, potes mundare ME, me peccatorem miserimum, indignissimum, qui tale quid meritus non sum. Equidem Lyranus in c. 5. Lucæ dicit de leproso nostro; *Confitendo in Christo divinam potentiam meruit curationem*: At non meritum sed verecundiam potius & confusionem nostro adscribit Beda, dicens: *Vnus quisq; cum leproso de maculis vitæ suæ debet erubescere, sed ita tamen, ut confessionem verecundia non reprimat, vulnus ostendat, remedium poscat*. Conspicitur hic (5.) spes indubia Dei misericordiæ planè confidens: *δυνασται, efficax es, Ich weiß du wirst nicht lassen*. Vel ad leprosi exemplum & Nos oremus; 1. *humiliter*, procumbamus in faciem. *Parcere prostratis scit nobilis ira leonis*, si autem placabilitas in bestia hac nobilitatis signum est, quid faciet infinita illa & summa nobilitas, ubi se supplex ante ipsum homo demiserit? respexit in orationem humilium & preces eorum non sprevit, Psal. 101. Oremus & nos (2.) *fideliter*, adoremus non modò divinam Christi naturam, sed & illius *τὸ συναμφοτέρον*, ut veteres piè locuti. Oremus cum leproso nostro (4.) *confidenter*, *POTES*, consideremus & nos, fratres, ut *nihilus peccati lepras in sua habeat anima, aut contaminationes delictorum in corde suo detineat, sed si habeat, audacter adorans Dominum, dicat Domine si vis, potes, &c.* Orig. oremus tandem (5.) *fideliter*, in corporalibus & Dei gloriam, nostramq; ac proximi utilitatem præsupponentes, ut jam sequetur.

¶ **Observe III.** Corporalia etiam & temporalia à Christianis rectè peti, sicut noster leprosus sanitatem petit, contra mentem Chrysostomi hom. 8. in 1. ad Tim. & hom. 54. in Genes. nec non Hieronymi super c. 2. ad Titum, qui putarunt, in petitione Fidei, remissionis peccatorum, salutis æternæ & aliarum rerum spiritualium, meritò Christiano acquiescendum esse, posthabita rerum corporalium postulatione, quæ *πρόσθεται* saltem sint & adjiciantur piis etiam sine precatione. Sed hanc magnorum horum virorum mentem ac sententiam vanam esse, quot exempla probant? Annon petierunt *Abraham* filium, Gen. 15. *Moses* victoriam, Exod. 17. *David* restitutionem, 2. Sam. 15. *Salomon* sapientiam, 1. Reg. 3. *Leprosus* noster munditiam, *Capitaneus* servi sanitatem, &c. Peti itaq; & temporalia possunt ac debent, quia (1.) Christus iussit & petitionem quartam in oratione Dom. voluit esse mediam, quia (2.)

Christiani corporalia etiam rectè à Deo petunt.

dona & bona etiam corporalia Fato pijs non obveniunt, sed divinitus dantur, Domini benedictio ditat, qui propterea & coli vult & invocari, Ose. 2. quia (3.) temporalibus indigemus, nec sine illis pietatis Christianæ exercitium vigere potest, cum non mortui sed vivi Domino serviant, Psal. 115. quia (4.) Fides, Spes, Patientia, &c. in rerum temporalium petitione elucet. quia (5.) eo redditur manifestius larga Dei bonitas, non modo spiritualia sed & corporalia liberalissimè pijs suppeditans, &c. Interim tamen, ad exemplum nostri leprosi res corporales sunt petendæ, sub conditione (1.) poenarum dignè promeritarum, quarum si impetrari non potest totalis sublatio, petatur saltem mitigatio, ut Dominus nos in iudicio (mit massen/Luth.) castiget, & non in furore, ne in nihilum redigamur, Jerem. 10. v. 24. Psal. 6. v. 1. sub conditione (2.) crucis & calamitatum, quas patienter ferre & necesse est & utile Christianis: Bonum mihi Domine, quod me humiliasti, Psal. 119. sub conditione (3.) circumstantiarum ex parte Dei liberrimarum, unde nec locus, nec tempus, nec modus Domino præscribendus, *Er weiß wol wemms am besten ist/vnd braucht an vns kein arge list/ie.* Sub conditione (4.) gloriæ divinæ & utilitatis propriæ, quid expediat nescimus, ideo totos divinæ voluntati in corporalibus nos committamus, *Was nützt dem Kind seines Vaters Geldbeutel? Was frommt ihm dessen Messer oder scharffes Schwert? Ist dem Kind auch seiner Mutter Noth gerecht?* Sic divitias petimus, at spinæ sunt: honores, at lapsus non raro causa sunt: liberos, at quoties noxæ sunt, pia Rahel quanta contentione prolem expecebat, at in secundo statim partu exhalavit animam, *Da hatte je das gute Weiblein für ihr Leben den Todt gleichsam gebeten/* Gen. 35. paterni itaq; animi est, si Deus liberis suis ea denegat, quæ ipsis non profunt, sed nocent, exempla sunt Moses, Deut. 3. David, 2. Sam. 12. Paulus 1. Cor. 12. &c. quibus si ex una parte quid negatum, id ratione alia, & majori cum utilitate ipsis datum est & suppeditatum.

Et extendens manum, tetigit eum.] Marc. c. 1. v. 41. addit: *αλαγχις* & eius, commiseratione intimâ commotus, vel ut Versio Reg. *commotus visceribus.* Nova ergo lepram curandi methodus describitur, sanata est leprosa Moïsi manus, cum gremio includebatur, Exod. 4. v. 17. sanata Miriam, cum à populo separabatur, Num. 12. v. 14. Naëman sanatus est, cum in Jordano septies abluebatur, 2. Reg. 5. v. 14. mundati decem leprosi, cum Sacerdotibus se ostenderent, Luc. 17. v. 14. sed hinc peratta-

per contactum à Christo leprosus sanatur, non ex necessitate, cum Lazarus etiam mortuus sine contactu sit resuscitatus, sed ob causas, quas jam recensibimus, & putat Origenes hom. 5. in Matth. Christum leprosum attigisse tunc demum, quando jam mundatus fuit, non inquit, *legem solvit Christus tangendo leprosum, quia accedente jam Christi manu, lepra fugerat, manus Domini non lepram sed mundum tetigisse corpus inventum est.* Verum historix hoc non competit, cum post tactum demum sanatus sit leprosus, testantibus id circumstantiis historix hujus omnibus. ¶ Observa autem hic jucundas illas causas, cur tangere hunc leprosum, contra legis interdictum, Christus voluerit? Radulph. Ardens putat Christum leprosum tetigisse, ut sciamus peccati lepram manu satisfactionis indigere, *Veniales culpæ,* inquit, *sine operis satisfactione sæpius remittuntur, at lepra majoris criminis indiget manu satisfactionis.* Verum quæ hæc satisfactio est? non utiq; leprosi nec illorum qui peccati lepram sunt infecti, sed solius Christi cujus sanguis à peccati lepram nos tantum emundat, 1. Joh. 1. Apoc. 1. Veræ itaq; hujus tactus causæ hæc sunt. Monstrat (1.) hic tactus Christum legis verè Dominum esse. Interdixerat equidem Lex leproforum ac mortuorum tactum, at illis tantum, qui nec lepram pellerè nec fugare mortem poterant, id quod Christus poterat. *Ut ergo Elias & Elifans, mortuos ad resuscitandum tangendo, contra legem non fecerunt,* 1. Reg. 17. 2. Reg. 4. ita Christus etiam legem non violavit leprosum tangendo ad sanandum, Lyra. *non tangit quod sine tactu nen poterat sed idcò tangit, quia legi non subjectus erat, Dominus legis legi non obsequitur, sed legem facit,* Beda. Lex prohibet, sed Christus tangit, quia gratia superat legem, gloss. interlin. Probat (2.) hoc tactu Christus, se curare morbos, non ut famulum, sed ut Dominum $\epsilon\chi' \omega\varsigma \delta\epsilon\lambda\ \& \ \alpha\lambda' \omega\varsigma \nu\acute{o}\rho\iota$, ut Chrysofost. loquitur, idcò Elifa famulus noluit tangere leprosum Naemanum, licet consideraret, 2. Reg. 5. Christus autem tangit, ut ostendatur $\alpha\upsilon\delta\epsilon\upsilon\tau\iota\alpha$ & $\delta\epsilon\alpha\omega\tau\epsilon\iota\alpha$ hujus Medici, cujus manus non est decurtata, Esa. 49. sed si mortuos ille tangit resurgunt; Luc. 7. si cæcos, vident, Joh. 9. Si surdos & mutos, audiunt & loquuntur, Marc. 7. tangit ille pisces & augentur, tangit panes & multiplicantur, Joh. 6. Matth. 14. Das sind die rechten manus Christi die alles endern / Psal. 77. Diese Hand zu helfen hat kein Ziel / wie groß auch sey der Schade. Tangit (3.) Christus, ut majestatem verè divinam carni suæ communicatam demonstret. Fit enim hæc mundatio ἁγνῶσις , per tactum carnis, quæ non est organon vel brutum, ut

Cur leprosum
Christus teti-
gerit.

tum, ut Bileami asina, vel exanime, ut Mosis baculus, vel ἀνέψυστο, sicut Sol per vitrum splendet: sed organon est animatum, rationale & efficacissimè cooperans, hinc non solum verbo, sed etiam tactu, non solum ut Deus, sed etiam ut homo signa operatur, Damascen. Docet (4.) hoc tactu Christus sibi mundo omnia munda esse, nec aliorum inquinamenta huic sanctitatis magistro poterant nocere, licet tangeret, Orig. cur hic non tangeret leprosum, qui carnem assumerat leprosum, etiam si peccati lepra? Gleich wie man mit einem Saphyr eine Pestilenzische Beul umbrucht / das der Bistt nicht weiter komme vnd zum Herzen trete: Also wird Christi Fleisch von vnserm Aufsatz nicht vergiffet / sondern ist vielmehr eine bewerte Arzney wider den Bistt der Seelen. Innuit (5.) hoc tactu Dominus, se miserrimum quemque nec fugere nec repellere, Joh. 6. v. 37. Insigne humanitatis signum est, si princeps aliquis abjectis etiam subditis manum porrigat, ceu Absolon, 2. Samuel. 15. at quanta Christi dicenda humilitas & humanitas, cum ejus manus auxiliatrix pateat omnibus, humiliatus hic tangit humiliatum, percussus à Deo percussum sanat, & qui aspectu judicabatur indignus, sibi simili benefacit, Chrysost. Docet (6.) hoc tactu Christus, à peccati leprâ liberari neminem, nisi divinitus adjutum, & Dei quasi manu tactum, ut enim gravida foetum producit manu obstetricis auxiliante; sic mens Deo gravida, propositum vitæ melioris, quod animo concepit, in lucem ut producat, non quavis obstetrice, sed ipsa omnipotentis Dei manu obstetricante indiget. Tangit (7.) Christus, ut suo doceat exemplo, quo affectu erga ægrotos & alios afflictos esse debeamus, non abhorreamus, sed compatiamur, imò tangamus utraq; manu, manu pietatis pro ipsis orando, & manu charitatis, visitando, ministrando, succurrendo, &c. non spernantes, licet maculosum videamus, ut Glossa Interlin. pulchrè monet. Tandem (8.) ostendit hoc tactu Christus, se magis abhorrere à lepra peccati, quam à lepra corporali, unde peccatorum figuram putat Euthymius fuisse Mariam Magdalenam, cui dictum sit: Noli me tangere, Johan. 20.

Volo, mundare.] Antiqua versio sine commate legit: Volo mundare, ubi Monachi ex Imperativo ineptè Infinitivum fecerunt, sed Lyra etiam hunc solæcismum observavit dicens: Volo, hic punctus est, & quod subditur, Mundare, Imperativus, quia Dominus creaturæ lepram per imperii modum curat. Jucundissima autem vox totius hodierni Evangelii est illud,

illud, **VOLO**, certè tot & talia signa operatus nunquam hoc verbo usus refer-
 tur, Chrysoft. hom. 26. in Matth. Illud **VOLO** mundus esto Imperatoris pro-
 prium est, sicut & illud: *Fiat tibi sicut vis*, Isid. Pelus. l. 4. epist. 166. eodem ge-
 nere sanat Dominus, quo fuerat obsecratus, Beda. **Der Herr antwortet dem**
leproso auff alle Stück seiner vberreichsten supplication, dixerat ille: *Si*
Vis, respondet Dominus, *Volo*, *Ich wils ja thun / Ich wils gern thun*.
 Dixerat ille: *Potes*, respondet Dominus, re ipsa demonstrabo quid pos-
 sim. Dixerat leprosus: *potes me MUNDARE*, respondetur: *Mundator*,
 sanator, purgator, *constitens profiteris me si voluero posse, magnifice credis, ma-*
gnifice etiam mundaberis, non dubitasti credere, non dubito sanare, en tibi ma-
num meam, Orig. *Tetigit, in hoc humilitas: Volo, in hoc pietas: mundator, in hoc*
majestas, tangit non scdatus, promittit non dedignatus, imperat non diffusus,
 Beda. *Volo dixit propter Photinum* (qui Trinitatem unius esse voluntatis
 credebat, sed unius esse potestatis negabat, cum tamen sub Dei volun-
 tate potestas lateat) *Tetigit dixit, propter Manicheum* (negantem veram
 Christi humanitatem) *IMPERAVIT propter Arium*, (inficiantem æter-
 nam Christi divinitatem) Ambrosius & ex eo Glos. Ordin. Postquam
 autem hæc verba locutus est Christus, statim ab eo (supplicante) lepra
 discessit, Marco & Luca testibus, Syrus in Matth. habet: *illa ipsa hora, in*
Lucam: eo ipso momento, atq; sic hoc loco obtinet illud: *χρηματα πρῶ-*
γματα, dictum, factum, nihil medium inter opus & præceptum, quia in
 præcepto est opus, ut Glosa Ordin. addit. ¶ *Obserua hic, I. à pec-*
cati leprâ liberari neminem, nisi per solum solius Christi sanguinem.
 Equidem Gallix Reges per contactum lepram in quibusdam sanasse fa-
 ma refert: Platina de primo sub *Heraclio* pontifice, cujus nomen *Deus*
dedit testatur, ipsum leprosum quendam sibi obviantem osculo statim
 curasse. De Papa *Agathone* idem narrat Mart. in Chron. *Bonifacius* 4. et-
 iam tale quid fecisse dicitur apud Sigon. lib. 2. sed hodie hanc vim PAPA-
 rum osculum fortè amisit, cum illi Curtifanas potius quam leprosos
 exosculentur. Proinde si Galenus ψῶγα infectos remittit ad vinum in
 quo suffocatus serpens, quanto tutius nos spiritualiter leprosos ad
 Christum, exaltatum illum exultati in deserto serpentis antitypum re-
 mittemus? si Manilius leprosos in aliquod ablegat Monasterium, si-
 quidem Andragafina quædam, in matrimonio leprosa, statim sit sana-
 ta, postquam virginum cœnobium ingressa, si credere fas est: cur nos
 spiritualiter leprosos non ablegaremus ad Christum medicum excel-

*Contentus
verbi spiritua-
lis lepra.*

lentissimum? imò si medici Græci leprosum Constantinum remisserunt ad infantum sanguinem, in quo lavandus, cur nos spiritualiter leprosos non remitteremus ad Christi sanguinem quo nos ab omni peccato lotos, cœlestis testatur Aquila, Apoc. 1. ¶ II. Observa, Christum non solo attactu, sed & verbo leprosum sanare, unde Ambros. *Si lepra medicina verbum est, contentus utiq; verbile lepra mentis est; Heilset Christi Wort den Aussatz / so ist traun kein Wunder das aussesig werden vnd in Sünd vnd Schandt gerachen die jenigen / welche sich selbst ausseschen vnd von den öffentlichen Kirchen Versamblungen muthwillig absondern / ic.*

Vide nemini dixeris.] Lucas v. 14. mandavit ut nulli diceret, in Græco: *παρήγγειλεν, ἡ ἀγγελία* autem dicitur, *serium Magistratus edictum & interdictum*, quemadmodum Pontifex Hierosolymitanus dicit: *Οὐκ ἀγγεῖλια παρηγγείλαμεν ὑμῖν?* nonne interdicto interdiximus vobis? Act. 5. v. 28. Vana itaq; est illorum sententia, qui, teste Calvino, leprosum excusant & dicunt, à Christo non seriò prohibitum, ne miraculum vulgaretur, sed leproso potiùs ad divulgandum stimulum fuisse additum, siquidem prohibita plerumq; magis spargantur, dicente Abulensi, in c. 8. Matth. Nam in Marco v. 43. magnam Domini severitatem videtur exprimere illud: *ἐμμελησόμεν & αὐτῷ*, *graviter interminatus est ei, statim ablegans eum.* Syrus vertit: *Inhibuit ei, eiecit eum ac dixit ei, innuens Christum commotum magnâ comminatione ipsum eiecisse à se, additâ divulgationis prohibitione.* Cur autem hoc? Beda certè hîc miratur, dicens: *Taceri jubet, nec taceri potest, ergone aliquid voluit, quod non potuit? annon opera & beneficia Dei magnifice depradicanda?* (Tob. 12. v. 7.) annon Christus Dæmoniaco sanato mandat, ut narret passim, quæcunq; ipsi fecerit Deus? (Luc. 8. v. 39.) Causæ ergò hujus interdicti variæ ponuntur: 1. est, quod Christus prævidit hominem non ita, ut par erat, deprædicaturum hoc opus, licet non malâ intentione, ideò commotus à se illum extrudit, quia cultus electitii ei non placent, Winkelman. in Luc. quando itaq; Marc. 1. dicitur, hunc hominem statim egressum prædicasse multa, unde ingressus Domini apud Capernaitas fermè præpeditus, tunc hoc malè & contra Christi interdictum factum, tunc enim prædicari permisit sua miracula, cum patris gloriam plenius sanctificandam agnosceret, recuit verò ubi vidit patris gloriam non subesse. Chrysof. hom. 26. in Matth. 2. voluit Christus, ut leprosus ante omnia expetaret

Etaret sententiam Sacerdotum, ne si illi audirent curatum ipsum à Jesu, quem impensè oderant, tergiversarentur fortè in pronuncianda sententia, ne cogèrentur dare testimonium certitudinis & veritatis miraculi, Hunn. in Matth. 3. noluit ut homines miraculis inhiarent, & interim conciones, quæ primaria officii Christi pars erant, negligèrent. 4. parcere hoc interdicto voluit leproso, ne ille Pharisæorum incurreret odium ac invidiam, non enim vult omnes pro se Martyres fieri, sed aliis concedit otium, ut in pace hujus mundi degant. 5. Quemvis docere Christus non vult, sed ad hoc munus idoneos selegit Apostolos, unde monemur ne ingeramus & intrudamus nos tanto muneri sine certa vocatione, Aret. 6. Quid opus est verbis, ubi rerum ad sunt testimonia? ipsa utiq; leprosi sanitas miraculum satis predicabat, quid erit in necesse ut jactaret sermone, quod præferobat corpore? Hieron. in Matth. 7. Hilarius monet Christum hac prohibitione cavere voluisse, ne & alii leprosi accederent, non quod sanitatem illis dare nollet, sed quod fidem & conversionem illorum magis veller. Et tandem 8. idem monet Hilarius, docere Christum hinc voluisse non vulganda nostra beneficia, sed premenda, ut non tantum à mercede abstinemus pecunia, sed etiam gratia. ¶ Erit itaq; hic nota observatio, Christianis, cum primis verò Ecclesiæ Doctoribus, de se suisq; donis ac bonis submissè modesteque sentiendum, quare enim, Domine, nemini dicet leprosus? propter humilitatem meam, propter meam dulcedinem, ut vos doceamini quando aliquid boni facitis non gloriari, aut extolli, vel inaniter placere velle in conspectu, sicut consuetudo est aliquibus, qui cum quid boni fecerint, ipsi ante homines volunt gloriari & extolli & sibi placere, ante Dominum mercedem perdentes (Matth. 6. v. 25.) Tu autem vide nemini dixeris, te enim tacente, mirabiliter hoc clamabit, Orig. hom. 5. in divers. Es ist eine gemeine Plag/inquit Saccus noster, sonderlich bey jungen Predigern/dass sie Ehrgeizig/Ruhmretig vnd auffgeblasen seyn/sonderlich wenn sie sich ein wenig fühlen/haben Gaben vnd werden vom Volck gerühmet/da heißt: Neue Rad fnarren gern/lehre Gefäß klingen laut,vnd drey Erbsen in einer Blasen rauschen mehr/als drey Scheffel Weizen im Sack. Hat demnach Christus den Predigern hie fürstellen wollen ein Exempel/dass sie nicht ihren eignen Ruhm suchen/Sondern Gott die Ehr geben sollen. Viri præstantes dona habent quidem, sed ignorant, ut Moses faciem lucidam, ait Granat. in Marg. sui epit. Lyra profectò suavissimè etiam resonantes, non audiunt se ipsas, ita similiter viri sapientes, quod Diogenis simile fuit.

Doctoribus Ecclesiæ de donis suis modeste sentiendum.

Ostende te Sacerdoti.] Luc. 17. quando decem leprosi mundantur, dicitur in plurali: *Ostendite vos Sacerdotibus*, hic verò in singulari ait Dominus: *iegei Sacerdoti*, unde nonnulli colligunt Summum Pontificem sibi soli potestatem judicandi de leprosis summisse, denn es gab gute accidentia, & plerumq; ita fieri solet, der Superintendentens nimbt's beste/ vnd lezt seinem armen Diacono das nachsehen: imo Sacerdotia tunc erant venalia, potuit itaq; fieri, ut illi optima muneris Sacerdotalis pars obtingeret, qui precii satis solvisset, *Wer das meiste Geld gab/ der bekam die beste Præbend vnd Inraden*. Sed honores ampliandi sunt, nonolumus ergo malè suspicari, quia Syrus habet plurale *Sacerdotibus*, imo in ipso statim Textu plurale additur: *in testimonium ILLIS*, præterea Lev. 13. officium inspiciendi lepram *ἰατρὸς* committitur Aaroni summo Sacerdoti, *δευτέρως* vero ejus etiam filiis, procul dubio in typum Christi unici illius in N. T. summi Sacerdotis, qui lepræ spiritualis cognitor accuratissimus, acutissimus, dignus cui gratitudinis offerant munus qui mundati sunt, *Wer versteht sich besser auff den Geistlichen Auffsatz vnser Seelen/ als eben Christus der einige vnd Ewige hohe Priester Newes Testaments/ Psal. 110? Ablegatur leprosus non propter terrenorum sacerdotum imaginem, sed propter caelestem summi Sacerdotis splendorem, Sacerdoti te ostende, à summo Sacerdote Dei patris mundatus, Orig.* ¶ Observa hic I. Pontificii ferè omnes hanc historiam ad auricularem suam Confessionem referunt: *Gehe hin vnd zeige dich den Priestern/ hoc est: Gehe hin vnd Beichte einem Cartheuser / vnd thue die Buß so er dir aufflegt. So erklerens alle vn Catholische Scribæ & Pharisei, quamvis nonnulli meticulousius, nonnulli verò confidentius. Bellarm. l. 3. de pœnitent. c. 3. ait: Nos non dicimus leprosos ad Sacerdotes missos, ut peccata confiterentur, sed cum Chrysostomo & Hieron. ex figura ducimus argumentum. Sic etiam Costerus in conc. p. 349. lepræ inspectionem vocat Sacramenti Confessionis figuram, additq; rationem, ut coram Sacerdote leprosi apparebant toti nudi, sic & in Confessione totam conscientiam esse denudandam, cum confessio quò apertior, eò fit utilior. Bartschius verò Tom. 2. p. 420. satis confidenter dicit, hic confessionis Sacramentum novo quasi calculo, in particulari APPROBATVM & CONFIRMATVM. Nemo de pœnitentiâ confidat, sed ad Sacerdotis arbitrium satis faciat, lepram criminis redituram timeat, nisi Sacerdoti per confessionem nudum se ostendat, Rad. Ard. Sed R. 1. allegoricam Theologiam non esse argumentatiam, 2. inspectio Sacerdotum V. T. non fuit oc-*

Confessio auricularis.

fuit occulti mali, sed talis morbi, cujus manifesta erant signa, Papistarum autem ficta jurisdictio virgulam sibi sumit de occulto peccatorum morbo. 3. jam mundus erat leprosus quando ad Sacerdotes mittebatur, ergo Papistæ etiam mundi erunt ante absolutionem. 4. Quicquid olim honoris exhibitum est Sacerdotibus V. T. hoc non Papistarum Missificos, sed solum Christum concernebat, ut Epistola ad Hebræos docet, quanta autem differentia est inter Christum *καπεδιογυωσιυ* & sacrificulos Papistarum rudes ac imperitos? 5. Alibi dictum est Auricularem Papatus confessionem & novam esse, cum in praxi Baptistæ, Christi & Apostolorum nullum habeat vestigium: & noxiam esse, cum hæc carnicina conscientiarum Evangelium in legem commutet & consolationis cisternam in torturam: & impossibile esse, cum occulta nemo intelligat, Psal. 19. v. 13. Joh. 9. v. 28. & scandalosam esse, cum secreta extorqueat sitq; Ecclesiæ Romanæ quoddam perspicillum pellucidissimum, *Über die Ohrenbeicht abthun wolte/möchte lieber der Röm. Kirchen beyde Augen aus dem Kopff stechen/ denn sie ist ihr trawen ein par Augen werth/ weil hiedurch alle verborgene Anschleg können ersehen vnd vernommen werden/* Piccart in apiario. ¶ II. Observa stultè Salmeronem ex hac ablegatione tale quid colligere: *Stultum est nil nisi scripturas acceptare nolle, cum scriptura nos ad Ecclesiam mittant.* Quasi verò à scriptura ad Ecclesiam missus sit leprosus? ad scripturas certè manifestè ablegamur, *Scrutamini scripturas,* Joh. 5.

Et offer munus tuum. *ἸΠροστραξε*, versio Reg. quod Moses illis attribuit, *Laß es bey der alten taxi vnd Ordnung/ idq; , tùm in debitam erga ministerium gratitudinem, tùm in mundationis certitudinem, ut videret Sacerdos, non per legis consuetudinem, sed per gratia operationem mundatum esse leprosum,* Orig. tùm in *πολυπραγμοσύνης* turpitudinem, ne dicerent Dominum rapuisse Sacerdotum gloriam, opus quidem ipse implevit, probationem verò & munus ipsis reliquit, Chrysost. tum in legum ceremonialium, quæ adhuc florebant, laudabilem consuetudinem, noluit enim Dominus subito Mosen de ponte, quod dicitur dejicere, sed ejus Synagogam cum honore sepelire, Aug. *nec cessare debebat significans Sacrificium, cum nondum ablatum esset significatum,* Beda, *der Vorhang des Tempels war noch nicht zerrissen/ non statim solvi poterant observationes antiquæ, sed retinebantur cursum suum quoad perfectum Christi Sacrificium, Sacrificiorum legalium evacuativum,* Lyra. tùm ad Sacerdotes cum munere

*Sacrificia V. T.
verè futurorum
umbra.*

Mosaico ablegabatur leprosus in Harmonias V. & N. T. pulchritudinem, *is enim qui nunc morbum depulit, idem ipse est, qui legem quoq; imposuit*, Isidor. Pelus. l. i. Epist. 146. ¶ Observa hic Sacrificia V. T. verè fuisse umbram futurorum, h. e. Christi ac meriti ejus, Heb. 10. Col. 2. Ad leprosi enim alicujus mundationem requirebantur hæc sequentia, ut Lev. c. 14. videre est:

1. Sanguis, 2. Aqua, 3. Coccus, 4. Cedrus, 5. Vas fictile, 6. Hyssopus, 7. Tonsio, 8. Septemplex conspersio, 9. Mundaq; vestis.

Sanguis (1.) erat aviculæ, quarum duæ offerebantur quidem, at una tantum mactabatur & sanguinem fundebat, in picturam duarum Christi naturarum, quarum una humana altera divina, una mortalis immortalis altera. *Aqua* (2.) vel fontana fuit vel fluviatilis avis excipiens cruorem, ubi depictus, aut sacer Baptismi fons, Zach. 12. aut peccatorum poenitentium lacrumæ. *Coccus* (3.) Purpur Wolle / qui mactati passeris sanguine tingebatur, veram notabat peccati agnitionem, peccata enim nostra coccinea sunt & sanguinis instar rubicunda, Esa. i. v. 18. *Cedrus* (4.) lignum illud forte & incorruptibile, constantiam notabat in bono proposito, ut per Christi sanguinem mundati deinceps peccati fugiant putredinem, Joh. 5. & 8. *Vas fictile* (5.) pingit humilitatem Christianam quæ docet nos terram, limum, fimum & lutum esse, unde peccatum eò magis fugiamus, cum fidei thesaurum in vasis gestemus fictilibus, 2. Cor. 4. v. 7. *Hyssopus* (6.) ex quo aspergillum conficiebatur notabat fidem, quæ Christi sanguinem nobis applicat, juxta phrasin illam Davidicam: asperges me hyssopo, Psal. 5. *Tonsura* (7.) capillorum notabat scrutinium conscientiæ *wir müssen vnser Gewissen bis auff die kleinste Härlein durchsuchen* / & tamen occultorum etiam veniam petere, delicta enim quis intelligit? Psal. 19. *sind ihr doch mehr als Haar auff vnserm Håupt* / Psal. 40. v. 13. *Septemplex aspersio* (8.) indicabat, vel sanguinem Christi septies fundendum in circumcissione, in hortõ, in coronatione, in flagellatione, in manuum vulneratione, in pedum transfossione, & lateris apertione, vel, ut septenarius numerus perfectionis nota est, ita perfectioni, quantum possumus, demus operam, *es wird doch wol Stück vnd Stük werck bleiben* / 1. Corinth. 13. Tandem (9.) *lota vestis* delineabat novam obedientiam vel vitæ novitatem, ut sic à contagio purgati, cœlestem illam civitatem mundi ingrediamur, Apocal. 21.

In testi.

In testimonium illis.] Syrus: *ut sit eis testimonio*, h. e. interprete Chrysoftomo, *εις ελεγχον, εις αντιδειξιν, εις κατηγοριαν*, non *εις διγ-
θωσιν* & δ' *εις διδασκαλιαν*. Vera autem horum verborum expositio est:
Alii referunt ad leprosum hoc modo: *In testimonium te vere esse munda-
tum*: alii referunt ad Christum, *in testimonium quod non sim legis destructor,
sed impletor*: quando me arguent, ut destructorem legis, tu mihi testis
eris, qui audis verba legem honorantis & Moſis præcepta venerantis,
Theophyl. Alii verò referunt ad Sacerdotes, *in testimonium illis, me scilicet
esse verè promissum Meſſiam*, de quo Esa. 35. prædictum, quod lepram pul-
ſurus, vel si nolint agnoscere, ut *ἀναπολόγητοι* sint & suæ contumaciæ
nullam habeant excusationem unde Lutherus vertit: *Zum Zeugniß
über Sie*/quam versionem licet Embserus vellicet, quasi Lutherus So-
lus putet hæc verba directa contra Sacerdotes, cum tamen ab omni-
bus pro sacerdotibus antehac sint exposita (Luther deſcets am Nand
wider die Priester / da es doch alle Christliche Lehrer für die Priester ge-
deutet haben) hæc tamen calumnia vana est, cum Radulph. Ardens lon-
gè ante Lutherum dixerit: *Fiat eis in testimonium vel fidei, si credant, vel da-
mnationis si non credant*; & Chrysoſt. in hom. de Christo ita loquitur: *non
dixit in eorum emendationem sed in testimonium, h. e. in accusationem, atesta-
tionem & damnationem.* ¶ Observatu autem jucunda hîc est Dn. Phil. *Sacerdotum
Melanthonis sententia, quæ Testimonium hîc idem vult esse, quod hil detrahen-
dum.*
LEX seu jus eorum, ut sit sensus: Offer Munus Moſaicum in testimo-
nium illis, hoc est, *da illis quod Moſes Sacerdotio constituit & quod illorum
ius est, Gib ihnen ihr Gebühr/laß ihnen ihre Gerechtigkeit*/ Hebræi enim
sæpiſſimè vocabulo testimonii utuntur *pro jure, seu pro lege & statuto*, po-
ſuit hoc Deus in testimonium Israel, Psal. 121. v. 4. Nos Germani dici-
mus: *Es ist seine Gerechtigkeit*/ si ergò Christus non vult adimere debi-
ta jura illi ministerio, cujus tunc multiplex erat abusus, quid fiet de mi-
nistris legitime constitutis, synceris & sedulis, illi utiq; mercede sua e-
runt digni, Matth. 10. 1. Cor. 9. Gal. 6. offeramus itaq; reverendo Mini-
sterio nostrum etiam munus, ne videamur in conspectu Domini ina-
ni, & ad Sacerdotem vacua venire manu, Exod. 23. v. 15. 34. v. 20.

Cum autem intrâſſet Capernaum,] An hæc historia (1.)
eadem sit cum illa, quæ Luc. 7. describitur, à nonnullis equidem nega-
tur, sed im merito, cum utrobique reperiat, 1. eadem supplicantis de-
ſcriptio, 2. idem locus, Capernaum, 3. eadem fidei prædicatio, 4. ejuſ-
dem mor-

dem morbi sanatio, breviter, in omnibus circumstantiis ita Evangelistæ conveniunt, ut ridiculum sit, pro uno miraculo duo fingere. Quis (2.) hic fuerit Centurio quæritur? Chrysof. putat fuisse Regium illum, Joh. 4. idq; colligere ille vult ex nomine ægroti, qui *παῖς* dicatur, h. e. filius ejus, ut ipse interpretatur; sed circumstantiæ sunt diversæ & historiz disparitas per se manifesta, vox etiam græca *παῖς*; utrumq; notat & filium & puerum, imò qui hic puer dicitur, illum Lucas c. 7. expressè *δούλον* dicit sive servum. Alii dicunt Centurionem nostrum fuisse illum Chufam Herodis *ἑπὶ τῆς οὐραίας*, ejus Luc. 8. v. 3. fit mentio: quicquid sit, Centurio dicitur à *centum militibus*, quos hic *in armis sub se habuit*, juxta Lyranum, idq; propterea, ut vel regionem Judaicam à Parthorum incursu tueretur, quod vult *Salmeron*; vel ut Judæos ad seditionem proclives in officio contineret; quod magis credibile: in græco *ἑκατόνταρχος*, *ἀρχὴ* dux vel princeps, *ἑκατόν* centum quamvis nonnunquam indefinite pro magno & multo accipiatur, Er hat ein Regiment oder Sâhnlein Knechte vnter ihm gehabt / unde Hilarius ipsum nominat: *Tribunum einen Rottmeister*. Quæritur tandem (3.) Centurio hic num Judæus fuerit, an gentilis? Hilarius Judæum fuisse putat, hinc dicit: *quomodo talis fides in Israel non fuit reperta, cum ipse qui crederet Israelita esset?* Sed Chrysof. hom. 27. in Matth. probat Romanum hunc militem fuisse, ex (1.) Centurionis & munere & nomine; ex eo (2.) quod gentibus ab Oriente & Occidente venturis annumeratur, quia (3.) à Judæis regni filiis separatur, quod (4.) dicitur dilexisse Judaicam gentem, quod in Judæo singulare quid non fuisset; quia (5.) fides ejus Judæorum fidei præfertur. Fuit itaq; alienigena & profelytus *religioni Iudaica favens*, ut Glossa Interlin. habet: *accessit Centurio generatione externus, sed mente domesticus, militum princeps Romanorum, sed singulare gaudium angelorum* (Luc. 15. v. 10.) Orig. ¶ Observa itaq; hic, Augustanam Confessionem in articulo 16. rectè dixisse: *De rebus civilibus docent Ecclesia nostra, quod legitima ordinationes politicae sint bona opera Dei, quod Christianis liceat gerere Magistratum, exercere judicia, jurè bellare, militare, &c. Damnant q; Anabaptistas, qui hæc civilia officia Christianis interdiciunt.* Quid enim Centurio noster? Miles utiq; & ex Imperatoris mandato Capernaitarum Magistratus, qui tamen à Christo elementissimè suscipitur, insignis ejus fides prædicatur, nec à pristina sua statione decedere jubetur. Itaque quoad Magistratum, malè Romanensibus *curia* olim dicta est à

Militare licet.

crucore,

cruore, imò malè in Col. Franckenthal. actione 24. q. 16. dixerunt Anabaptistæ: Magistratum quidem Dei ordinationem esse, sed non decere fideles, cum in N. T. nemo Christianorum eundem gesserit. Reclamant exempla *Centurionis nostri*, & *Cornelii* Act. 10. & *Reguli*, Joh. 4. *Pauli Sergii*, Act. 13. &c. Quoad militiam, malè iterum agunt non modo Anabaptistæ omnem simpliciter militem damnantes, sed & *Concilium Nicenum contra Arium primum*, quod anathemate percussit omnes, qui post baptismum militiam sectarentur. Gloriatur certè David bellandi artem se ab ipso Deo addidicisse, Psal. 144. v. 1. Israelitis ordinem bellicum Deus ipse præscripsit, Deut. 20. Baptista militem non damnavit, sed informavit, Luc. 3. v. 14. Proinde, cum fidem militis Dominus laudarit, nec militiæ desertionem ei imperarit, utiq; *non militare, sed ob prædum militare delictum erit*, Aug. de verb. Dom. Wir sollen wissen/ daß fromme Kriegsteute in ihrem Gezelt vnd Losament / ja so wol selig werden können/ als ein Pfarrer auff seiner Kanzel / sie können so selig auff grünem Rasen sterben/ als ein ander auff seinem Bette / wir reden aber von frommen Kriegsteuten / inquit Saccus noster. Ubi tamen in excessu peccat *Costerus*, qui militibus statum meritorium & proximum à Martyrii locum assignat, additq; nonnunquam fieri posse, *ut milites immediate ad caelos abeant*, fortè si pro fide catholicâ contra hæreticos bella gerant & in acie occumbant. Sed quomodo tam liberales ergà militem hîc sunt illi, qui alibi suis etiam clericis vix purgatorium audent promittere, & nescio quod discrimen fabricantur, inter vitam politicorum activam, quod perfectionem multis modis impediât, & inter vitam Monachorum *contemplativam*, cum qua omnes alii externi status non sint conferendi? profectò meriti vox omninò hîc expungenda est, cum sancti etiam in optima vita nihil mereantur, quid ergò miles, Hispanicus præfertim & Papisticus truculentus, testium CHRISTI sitiens sanguinem, merebitur?

Accessit ad eum.] Lucas c. 7. testatur, Centurionem ablegasse Seniores Judæorum, unde diversos quidam Centuriones fecere, sed non est opus hîc ἀντιλογίαν inter Matthæum & Lucam fingere, quia (1.) *quod quis per amicos facit, hoc ipse fecisse dicitur*, Lyra. Matthæus ergò adscribit Centurioni, quod ejus nomine ab aliis factum, sic Johannes ex carcere dicebat Christo, nempe per discipulos, Matth. 11. sic dicebant legati Christi: Magister dicit tibi, Matth. 26. v. 18. Sic Pilati

uxor maritum monet dicens, per ministrum scil. Matth. 27. v. 19. quia (2.) Augustinus l. 2. de Confess. Evang. c. 20. dicit, Matthæum mysticè locutum, nam Centurio quò magis credidit, eò magis ad Christum accessit, at Iudeorum Senioribus magis credidit, idèò magis etiam, quam illi, Dominum accessit, ut mulier præ turba dicitur tetigisse Christum, Matth. 9. quia (3.) verisimile est Judæos invidiâ tabescentes in initio non permisisse Centurionem ad pedes Jesu venire, fuisset enim hoc in gloriam Jesu, urgente autem necessitate ipse accessit Centurio, Theophyl. in c. 7. Luc. quia (4.) Chrysostomus dicit, Centurionem in initio fortè alios misisse, periculo autem crescente, per se accessisse. Matthæus itaq; & Lucas sic conciliari possunt, primò missi sunt Seniores Judaici, quibus cum Christus promitteret se venturum, ablegati sunt Centurionis amici, ut Domini deprecarentur adventum, quibus cum Christus nihil moveretur, & ædes Centurionis ferè jam accessisset, ipse prorupit & indignitatem suam est professus, quæ ratio conciliandi Evangelistas Chemnitio meritiò videtur *convenientissima*.

Invocatio Sanctorum ex hoc. Evang. nunquam probabitur.

¶ Observa itaque, I. cum expressè hîc dicatur, Centurionem Jesum ipsum accessisse, quâ ergò frontè Papiſtæ ex hac historia probare conantur *Sanctorum invocationem*, dicentes: *Vt Centurio Christum accesserit per intermedios quasi arbitros & Mediatores, Seniores Iudeorum & amicos suos, sic planè Catholicos etiam non audere ad Deum & filium ejus immediatè prorumpere, sed per invocationem sanctis mediatoribus & Intercessoribus humiliter eos uti*, Bartscius Tom. 2. p. 29. 6. 302. 487. nec hoc immerito fieri putant Papicolæ, cum sub finem hodierni Evangel. satis perspicuè indicètur, quantum apud Deum valeat *Sanctorum intercessio*, ut qui jam in regno cœlorum recumbant, cum itaq; *Christus hîc exaudierit Intercessores minus sibi gratos, cur sit repulsurus Sanctos?* idem, p. 414. imò ubi noster Centurio suam indignitatem agnoscit, tale quid inde colligere vult Radulph Ardens: *Hoc exemplo discamus humiliter de nobis sentire & in omnibus indignos nos judicare, non esse dignos qui polluto ore Christum rogemus, sed per intercessionem Sanctorum ejus ad nostri misericordiam inclinemus*. Sed quando tandem Papiſtæ agnoscent discrimen, inter *Sanctorum defunctorum intercessionem*, & inter *mutuas Christianorum vivorum preces?* Nam (1.) vivi Christiani pro vivis orant, non quod nobis ipsis immediatè non liceat ad Deum accedere, sed quia & *Charitatis Christianæ officium*, & *divinum mandatum* tale quid expetit, 2. Thes. 3. v. 1. Colofs. 4. v. 3. 1. Tim. 2. v. 1. Jac. 5. v. 16. Adhæc (2.) si

os nostrum pollutum proprias nostras preces impediret, in sola utique Sanctorum intercessione esset acquiescendum nobis, & omnino non orandum; jubet autem scriptura in precibus Christianorum mutuis, ut pii aliorum preceationibus suas etiam jungant & simul orent. Leprosus (3.) in priori Evangelii parte quos habuit mediatores quos intercessores? IPSE profecto felicissimè Dominum exoravit. Sanctos (4.) in cœlo recumbentes Deo gratos esse non negatur, sed gratior tamen multo Christus filius est, nec sine idolatria sanctis tribui potest id, quod solius Christi est, nempe mediatio & intercessio apud Deum, Rom. 8. 1. Joh. 2.

¶ II. Observa hîc typum jucundissimum conversionis gentium paulo post secuturæ, quem Basil. Seleuc. Orat. 19. pag. 179. ita describit: *Vidi centurionem ad Domini vestigia provolutum, vidi gentes primitias suas Salvatori transmittentes, nondum vexillum (Esa. II. v. 10.) est erectum, & gentes ad Dominum festinant, nondum auditum illud: Euntes docete omnes gentes (Matth. 28. v. 19.) & gentes ad Dominum convolant, nondum predicatio inclaruit, & ad eum qui predicatur accurrunt; adhuc Petrus quasi in utero erudiendus gestatur: nondum Paulus fulguris ope sub CHRISTI vexillo merebat (Act. 9. v. 3.) & regem adorare gentes impense prævertunt!*

Domine puer meus.] Sequitur Centurionis supplicatio, cujus omnia verba Emphatica, 1. dicit: *Domine*, Syrus pro more addit fidei particulam: *Domine mi*, unde & Chrysologus serm. 15. dicit: *qui vocat Dominum, fatetur suam FIDELITER servitutem*, unde autem hæc centurionis fides? audiverat de Jesu, Luc. 7. v. 3. unde ineptus sit oportet Bartseus dicens, credidisse Centurionem *sine omni verbo Dei*, Tom. 2. pag. 378. ut & Salmeron, qui dicit *fidem Centurioni divinitus infusam, quia bonus fuerit & servi sui diligentem habuerit curam*. Utrumq; falsum, fides certe non promeretur, sed est Dei donum, Johan. 6. v. 29. per auditum verbi nobis promissum, Rom. 10. nec bona opera (servi dilectio, &c.) Deo placere potuissent, sine præcedente fide, Hebr. 11. v. 6. audiverat autem Centurio de CHRISTO, vel ex lectione Prophetarum in Synagoga quam Judæis extruxerat; vel ex Regio vicino suo, qui filii divulgat sanitatem, vel etiam ex leproso jam sanato, quod vult Chrysost. Licet (2.) Origenes observarit, nullum hæcenus pro servo suo apud Christum intercessisse, hîc tamen facit, & quidem in N. T. Solus, puer meus, inquit, jacet domi. Quem Matthæus *παῖς* dicit, quod filium vel ætate puerum significare posset, hunc Lucas c. 7. nominat expressius

δῆλον, *servum seu famulum*, Græci autem Hebræum עֶבֶד Ebed ut plurimum reddiderunt *παῖδα* duriolem mancipiorum servitutem describentes, 2. Reg. 10. v. 5. 1. Paral. 18. v. 6. Jos. 1. v. 7. 2. Sam. 15. v. 14. erant tales famuli, quibus militiæ duces vitam committebant, *Waffentreger / Spießjungen / Leibknecht / Jud. 7. v. 11.* Origenes (3.) observat in tribus hunc famulum esse miserabilem, *quod jacet, quod Paralyticus, quod torquetur.* Jacere est requies sano, at tormentum infirmo, accedit verbum *βέβλυται*, toto corpore prostratus est, projectus est in lectum ut cadaver, habet Beza in N. T. margine, *Die Sicht hat ihn zu Boden gestürzt.* Morbus (4.) Paralytis est, eaq; juxta Calvinum, subita, quæ in primo accessu magnos cruciatus & vitæ desperationem afferat, lentas verò Paralytes tormento carere. Verùm hîc servus non fuit in principio morbi, sed ut in Luca additur, jam jam erat moribundus, ergò de principio Paralyseos hîc non agitur. Alii disputant de doloribus, quos in dorso sentiant paralytici: sed probabilior est sententia Chemnitii, qui dicit, hîc agi non de paralyti propriè sic dictâ, sed intelligendam *ἀρτερίτην* vel articulorum morbum (Luth. rectè *die Sicht*) quæ aliquando in quibusdam corporis partibus hæreat, aliquando verò totum corpus acerbissimis tormentis exerceat, idq; probat Chemnit. exemplo Alcimi, cujus interitus ita describitur, quod sit taæus & oclusus os ejus (*παρελύση*) præ paralyti, & mortuus est *μέτα βασάνη μεγάλην*, cum tormento & cruciatu magno, 1. Macc. 9. v. 55. Vehementiam (5.) morbi depingunt *βασανισμοί*, sunt cruciatus & tormenta in quaestionibus & suppliciis reorum adhibita, imò aliquando dolores infernales hac voce describuntur, Luc. 16. v. 23. Apoc. 14. v. 11. additur particula *δεινός*, valdè, vehementer & ad mortem usque, ut Lucas testatur. Videtur (6.) Anshelmus hunc paralyticum habuisse pro obsessò, quem Satan adveniente Christo reliquerit, hinc in Glosâ Interlin. dicit: *Torquetur, repentinâ diaboli egressione*, sed unde hoc constat? ¶ Observent hic I. Domini exemplum, quod imitentur servos non spernendo, non duriter tractando, non statim infirmos expellendo, sed diligendo eos ut fratres ac homines, *serviunt enim nobis, non sani modò, sed & agroti, serviunt voluntate licet non possint facultate*, ut eleganter loquitur J.C. Paulus, L. cum hæres sub finem ff. de stat. liber. Olim servus vel emtus vel captus miseræ omninò conditionis erat, ut in quem Dominus jus vitæ & necis habuit, *ided servi juris interpretatione habentur pro mortuis*, Beust. & ta-

men no-

Domini imitentur Centurionem.

men noster Centurio suum mancipium amat, in precio habet ac honeste sustentat, non sanum modò, sed & infirmum, quem Centurio dicit decumbere, non in sterquilinio vel xenodochio, sed *in domo sua*. Laudabile hoc est, unde Radulph. Ardens: *Licet servi tamen homines, licet servi, tamen conservi, imò licet servi tamen amici, quos male non tractemus, sed si cogitamus eos servos hominum, cogitemus ne forte nos, quod gravius, simus servi peccatorum.* Videantur dicta Col. 4. v. 1. Eph. 6. v. 9. Syr. 33. &c. Sed quoties hæc non attenduntur, Es hat wol ehe ein Tyrannischer Juncker seine Gäst gefraget / ob sie lust hetten / ein frisches Federwildt zu essen / welches als es bejahet / da hat der Scharhanß seinem Diener geboten auff den Ofen zu steigen / vnd als ein Guckuck zu ruffen / da das geschehen / haer er den Knaben herab geschossen / vnd gesagt / da wer ein frischer Vogel; sed malè imò pessimè, nostrum potius Centurionem ita loquentem introducit Basil. Seleuc. Orat. 19. *Et si servus, homo tamen est, qui morbo detinetur, tu, Domine, ne vile spectaveris servitium sed mali potius magnitudinem.* Et Origen. *Mihi hîc servus est, & ego creatoris: iste me super terram, sed ego magnum in caelis Dominum habeo. si ego ejus non misereor, quomodo ille mei miserebitur? si ego huic non subvenio, quomodo ille mihi subveniet?* ¶ II. Famuli etiam habent, quod hîc observent. Servus enim Centurionis procul dubio & pius fuit & strenuus: pius, quia Judæorum Seniores pro ipso intercedunt, Sie werden ihn oft gesehen haben in der Synagog / welche er nebenst seinem Herrn fleißig in Andacht besucht / vnd ihnen alle Reverenz erzeiget hatte / Strenuus, quia Dominus ejus dicit: *Si dico famulo meo fac hoc, facit.* Imò Luc. 7. dicitur de hoc servo, quod fuerit Domino suo *carissimus* & sive preciosus, ob raras fortè dotes, quæ non in quovis sordido mancipio reperiebantur. Procul dubio etiam miles animosus fuit, der sich in Scharmüßeln / Schlachten vnd Schilderwachen wol getummelt / jam vero lethaliter & moribundus ille decumbit, das sollen alle Eysenfresser vnd Würmetödter merken / morbis & morti subjecti etiam tales sunt, ergo timeant Dominum, adeant diligenter templum, venerentur ministerium, serviant fideliter, & habebunt in necessitatibus Deum ac homines faventes:

Si servire velis, sis humilis atq; fidelis.

Providus, & comtus, patiens, & ad omnia promptus.

III. Theologi servi hujus conditionem pulchrè dicunt depingere peccatum actuale, sicut antea audivimus leprosum originalis mali fuisse

Paralyticus peccati actualis typhus.

imaginem. 1. Fuit paralyticus noster *servus* & quidem *mancipium*, ut ex voce *παῖς*, apparet: Similiter peccatores servi sunt Diaboli, Joh. 8. v. 34. Mortis, Rom. 6. v. 16. perditionis æternæ, 2. Pet. 2. Dominum profecto satis severum & austerum habent peccatores, cui ille dicit vade, is vadit, cui veni, is venit & cui fac hoc, ille facit, durum certè servire bono Domino, quid ergo de hoc Tyranno fiet? 2. noster paralyticus dicitur *jacuisse* & à morbo prostratus fuisse: peccatum nos similiter sternit, ut surgere non valeamus, vult Deus, ut à peccati lethargo surgamus & in ejus semitis ambulemus, sed jacemus & satis periculosè jacemus, si quidem olim in inferno jacebunt, qui hic in scelerum luto jacent & surgere nolunt, Psal. 49. v. 15. 3. Dicitur noster paralyticus *omnium membrorum motu destitutus & usu*: peccatoribus idem accidit, neq; manus neq; pes in spiritualibus suum facit officium, cum peccatorum membra in justitiæ arma sint, Rom. 6. Et tandem 4. de hoc servo dicitur, quod fuerit *Βασίλειος*, *in infernalibus quasi subjectus cruciatibus*: per & propter peccatum quot modis torquemur? malâ conscientia, calamitatibus variis, morbis, morte, æternâ damnatione, qui itaq; peccatum committunt, in torturam se conjiciunt, &c.

Veniam & curabo eum.] Lucas dicit *ivisse* Dominum cum Senioribus statim, quibus fortè Centurio venit obviam, & omnia Christi verba hic etiam jucunda sunt. I. Dicit: Ego veniam, h. e. interprete Basil. Seleuc. *Ego qui hominum studio in hominem me indui, qui propter omnes veni, non unum despiciam*. II. Dicit Dominus se velle servum *Ἰεσὺς πῶς εἶεν*, h. e. ita curare, ut solent medici, *adhibitis* scil. *medicamentis*, & utitur ea voce Christus ad exercendam Centurionis fidem, quæ in sequentibus ita subsumit: Non Domine *medicamentis* opus est, sed dic saltem *verbum* & sanabitur famulus meus. III. Plus offert hic Dominus, quam fuerat rogatus, servi videl. sanitatem & suam præsentiam, quia oratio justii plus impetrat quam sperat. ¶ Ante omnia autem hi: observanda, profunda Christi humilitas & admiranda humanitas, *quem enim regalis dignitas sublevabat, contempsit* (Joh. 4.) & *quem servilis conditio humiliabat, honoravit*, Chrysost. hom. 22. oper. imperfect. Ad servum non vocatus se promissit, ad filium autem reguli etiam vocatus, venire noluit, quid hoc? nisi ut nostram perversitatem retundat, cui divites honoramus & pauperes contemnimus, in honore hominum non naturam sed divitias, non Dei imaginem sed potentiam attendentes, *Βοε*

Thaler

Miranda, rimanda & imitanda Christi humilitas ac humanitas.

Thaler vnd Goldgülden gibt/ geht mancher Prediger gerne hin/ wo aber
 bey armen Patienten nichts zu hoffen / da leßt er die Nasen wol zu rück/
*Nos. fratres, vitemus personarum acceptionem & discamus honorare in homini-
 bus, naturam non fortunam, virtutem non potestatem, Ardens. Qui ad reguli
 filium accedere noluit, ne divitias honorasse videretur, ad servum vadit, ne servi-
 lem conditionem sprevisse putaretur, illic cessum est elationi, hic concessum humi-
 litati, Aug. tract. in Joh.*

Non sum dignus ut intres.] Græc. *ἰκανός*, idoneus, sufficiens,
 pro Hebræo *דַּי* Dai, Lev. 5. v. 7. Exod. 36. v. 7. dicit itaque Centurio se
 aptum & idoneum non esse, ut Christum suscipiat ac præsentiam ejus
 sustineat, si nimirum intret ille, non domum, sed *Tectum* saltem, vel ut
 Syrus habet: *Tugurium*, gegen Christi *unendlicher Majestät sey des Haupt-
 mans Wohnung nur ein Strohdach / ein Hirten Hütlein / & videntur*
hæc verba satis aptè opposita intercessioni Seniorum, qui dixerant: verè
dignus est, Er ist sehr werth/ regerit ergo Centurio, nimium ipsos dixisse,
 se verè præsentia Christi *indignum*, quia magna olim reputabatur gra-
 tia, cum sancti viri ad aliquem divertebantur, Gen. 18. v. 3. 19. v. 2. *Si inve-
 ni gratiam in oculis tuis, ne transeas servum tuum.* Quæ autem causa subest,
 quod Centurio se indignum censet præsentia Christi? *Lyra* dicit Cen-
 turionem fortè idola in domo habuisse & ideo subterfugisse Christi
 præsentiam: Sed quis credit Dominum Idololatram tantoperè laudaf-
 se & ejus fidem omnium Israelitarum fidei prætulisse? *Glossa Ordin.* dicit
 credidisse quidem centurionem, sed *Sacramentis nondum imbutum* fuisse,
 proptereaq; putasse se præsentia Domini gravari magis quam juvari.
 Alii hanc ponunt causam, quod Centurio, ceugentilis, prudentem
 Judæorum supercilio sese accommodarit, cum enim illi à gentium
 conversatione abhorrerent, Act. 10. nec cum eis comedere vellent aut
 bibere, Joh. 4. ideo pro sua modestia dicit Centurio se indignum, sicut
 & Pilatus ad Judæos egrediebatur, Joh. 18. v. 28. Alii dicunt Centurio-
 nem hic imitari voluisse Moïsem, ideo Origenes eum ita loquentem
 introducit: *Domine terruisti me, conturbasti, interfecisti anima mea fortitudi-
 nem in hoc verbo: Ego veniam, &c. Moïses primus ille magnus tuus confabulator,
 mirabilis tuorum narrator operum, fidelis in tota domo tua, humiliavit se dicens:
 Non sum dignus heri & nudius tertius, (Exod. 4. v. 10. Ebr. 3. v. 5.) quando ma-
 gis ego dicam non sum dignus, alienigena sum, gentilis miles, gladio accinctus,
 sanguinem fundens, ad prælium exiens: Chemnitius hæc Centurionis verba*
 adscri-

adscribit relationi Reguli, qui huic vicino suo narravit, quomodo Domini petens præsentiam & adventum, repulsam tulerit & durius non nihil sit exceptus, ejus autem credens verbo, filii sanitatem statim se impetrasse, observasse hoc Centurionem, hinc ut in historia Reguli dicitur: Credidit homo VERBO, ita etiam hic dici: Dic tantum VERBUM. Quicquid sit, depingitur hic summa Centurionis humilitas, quæ D. Augustino usque adeo placuit, ut dicat: Dicendo se indignum, præstitit dignum, non in cujus parietes, sed in cujus cor Christus intraret, non enim magna erat felicitas, si Dominus intrasset in parietes ejus, & non esset in pectore ejus, tecto non recipiebat, corde recipiebat, quanto humilior, tanto capaxior, tanto plenior, colles enim aquam repellunt, valles implentur, August. Serm. 6. de Verbo Dom. p. 18. ¶ Observa, Origenem pulchrè hæc accommodare ad

In Cœnâ Domini verè indigni sumus, ut Christus nostri cordis intret tectum.

negotium cœnæ, quando dicit: Cum divinum hoc & incorruptum accipis epulum, cum vitæ pane & poculo frueris, cum manducas & bibis corpus & sanguinem Domini, tunc sub tectum tuum ille ingreditur, ita ergo humilians temetipsum imitare hunc Centurionem & dicit: Domine non sum dignus, &c. Vbi enim indigne ingreditur, ibi ad iudicium accipienti ingreditur. Et Ardentius: Corpus & sanguinem Christi in sædum corporis nostri hospitium suscipere reformidemus, non quod in sæditate manere velimus, sed ut magis mundi & digni esse desudemus. Ecce fratres & iste Centurio & Zachæus Dominum honorarunt, sed diverso modo: Zachæus eum late suscipiendo, hic se indignum reputando, Zachæum imitatur, qui Eucharistiam sæpe & frequenter accipit, Centurionem verò qui Eucharistiam sumere metuit & sine diligenti cordis scrutinio epulas has non accedit. Si enim in tantum humiliatur hic vir, qui benè meritus est ergà Rempublicam, diligit enim gentem Judæorum: erga Ecclesiam, est enim ejus nutritius, Synagogam propriis sumtibus ædificans: nec non erga suos, quorum curam habet verè paternam, imò, si in tantum humiliatur ille vir, cujus insignis est, & misericordia, & fides & sapientia, quanto magis nos decebit, ut humiliemur sub potenti Dei manu, 1. Petr. 5.

Sed tantum dic verbum.] εἰ πὲ λόγῳ, phrasis hebræa, pro:

Fides insignis.

Solo verbo manda, impera, jube saltè & non opus erit arte aliqua (de quâ dixisti) therapeutica. ¶ Insignis fidei insigne exemplum hic observandum: Magna fides, quæ Dei dicere credit esse facere, ait Glos. Anselmi Interlin. & Chrysol. Serm. 15. p. 40. pulcherrimè: Verbum tuum Domine sanitas est: Verbum tuum vita est: Verbum tuum ubi accesserit, unde confestim fugit dolor, infirmi.

infirmitas mox recedit, verbum de quo dictum; Misit verbum suum, & sanavit eos, Psal. 106. v. 20. hinc neq; herba sanat neq; emplastrum, verbum autem tuum, Domine, sanat omnia, Sap. 16. v. 12. ad quæ loca noster Centurio procul omni dubio respexit.

Nam & ego homo sum.] *ὁ δὲ ἐξουσίαν*, Beza addit *alterius*, sub potestate alterius scilicet *constitutus*, ut apud Lucam, rectius *Ordinatus τῆς ἀουρῆς*, quia Judices Deus ἐταξέ 2. Reg. 7. v. 11. Agnoscit itaque Centurio Magistratum *Taxin* sive ordinationem divinam esse, docet idem Paulus & expressè monet ne quis sit *ἀντιτασούμην* ἢ ἐξουσίᾳ, Rom. 13. Dicunt autem quidam Centurionem hinc argumentari à simili hoc pacto. Quemadmodum ego ministeria viliora ipse non subeo, sed famulis meis ea committo, ita non est opus ut tu ipse præsens famulum meum cures, sed dic saltem verbum, solo verbo negotii hoc angelis tuis committe, & illi statim sanabunt eum: *Ut servus meus jussa facit, ita angeli tibi serviunt & potes per eorum ministerium, sine corporis presentia, dicere infirmitati ut recedat, & recedet, & sanitati ut veniat, & veniet*, Rad. Ardens. Verum Centurio servi sui sanitatem nec angelo nec ulli creaturæ sed soli Christo tribuit, idèò simplex est & vera (inquit Chemnit.) accommodatio si dicamus, Centurionem à minori ad majus argumentatum, his membris. 1. Ego sum homo, Tu Christe aliquid amplius es, sine peccato es, Deus es, Dei filius es. 2. Ego subjectus sum Romano Imperatori vel Herodi, Tu superiorem neminem agnoscis etiam Cæsari imperitans. 3. Ego precariâ & alienâ utor autoritate, Tu verò propriâ, quia ex te omnia habes. 4. Ego sub me milites habeo Romanos & Prophanos, Tu verò milites longè alios habes quam ego, militant tibi astra, elementa, aer, maria, mors, & quicquid est ubiq;. 5. Mei milites mihi obediunt, quia *sub potestate*; jubendi tamen habeo *potestatem*, quid Tu possis, cui omnes serviunt *potestates*? 6. Ut itaq; ego Militem mitto, sic tu contra morbum mitte tuum imperium, ut ego dico militi VADE, sic tu servo tuo PARALYSI similiter dic, *Ito*; & statim deseret obfidionem, quæ famulum meum ad mortem usq; premit: ut ego alteri dico *Veni*, sic & tu Servo tuo SANITATI dic, *veni* & statim veniet, Mors certè in neminem pervenire poterit, si tu eam abscedere jufferis.

¶ Observent hic 1. quotquot in Magistratu sunt, ut ex sua potestate discant agnoscere Dei potestatem, ita colligentes: Ecce, tu homo es sub alterius potestate constitutus, & dicis huic vade & vadit, veni illi, & venit.

Ex nostra potestate de Dei potestate judicemus.

venit, fac hoc isti & facit, &c. Si ergo tibi homini aliis subdito tantum præstatur obedientia, dic quæso quid prætendes, si Domino Deo tuo, ejus nomine ista tibi præstatur obedientia, fueris inobediens? Si ipso dicente vade non vadis, veni non venis, fac hoc & non facis? *Es ist kein/ daß der Capitän uns lehret / wie ein jeglicher aus seinem Ampt vnd Standt Gottes Macht sol erkennen. Denn kein Mensch wil sein Wort verachtet haben / Vater vnd Mutter könnens vnd sollens nicht leyden/ daß ihr Wort von den Kindern verachtet werde / Regenten / Præceptores, Seelsorger / Herrn vnd Frauen auch also. Da wir nun wollen/ daß vnser Wort sol kräftig seyn / warumb werden denn ihrer so viel dem Wort Gottes ungehorsam/ viel zweiffeln an dessen Krafft vnd Warheit/*

26. Sacc. ¶ *Obserua II. In militia etiam & aulis strictam disciplinam posse locum habere. Equidem in militum ordine invenias, qui suis sunt terrori, amicis molesti, erga eos quos defendere debebant saevi, erga hostes timidi, omnem nihili facientes legem. At, ut noster Centurio milites habuit obediens, sic tales etiam Cyclopes severiori disciplina coerceantur, sicut Bellisarius militem ob decerptum pomum suspendit: Totila Gothorum Rex, ob commissum stuprum, suspendi suum iussit vexilliferum: Piscennius niger vino suis interdixit militibus & sub dio pransus est parcissimè, ut ab ipso alii etiam addiscerent continentiam, Wenn solcher Ernst wider den vnbändigen Hun- vnd Federhans gebraucht würde/ würde mehr Glück bey heutigen Kriegen seyn. Cæterum non militum modo sed & famularum ac famularum domesticarum petulantia hinc omninò deploranda, sicuti Luth. in ultima sua concione V Viteb. habita ex hod. Evangelio graviter conquestus est, de malitia hodierni famulitii, In meinem Hauß (inquit) gehets nicht so zu / sondern wenn ich spreche zu meinem Haußknecht / Kom her / so gehet er davon: Vnd zu meiner Magd/ gehe hin/ so bleibe sie stehen: Vnd zu meinem Jungen / Thue das / so lest er s/ quæ profectò quotidiana praxis est, sed male, ministri itaq; imitentur, si non Centurionis milites gentiles, Eleasarum saltem, Gen. 24. & Iacobum, Gen. 30. Iosephum, Gen. 39. Davidis servos, 2. Sam. 15. &c.*

Auditis his miratus est Jesus. ¶ At quomodo æternus & omniscius Dei filius illam miratur fidem, quam ipse accendit? *Jeûua* certè consideratio est incogniti & non sperati. Hinc August. mirantem Christum admiratur, dicens: *Creator mirabilium miratur, aurium conditor, quasi qui non audita nesciat, sic stupet audita!* Putant itaque Alii (i.) Christum ad-

Dater milites etiam disciplinam esse posses.

stum admiratum non verè, sed saltem *secundum apparentiam*, ut stuporem in animis spectantium & audientium moveret. Hinc August. quod Dominus miratur, eo fidem Centurionis admirandam significatur: vel, ut Ardentius habet: non in se miratur fidem quam dederat, sed eum in fide mirandum & invidendum demonstrat, qui sine lege & Prophetiâ credit. Alii (2.) Christum dicunt verè admiratum, quâ hominem in scientia experimentalis, juxta quam illi aliquid novum & inopinatum esse potuerit, licet secundum scientiam beatam & divinam esset notissimum, Lyra. Sed interpretem hîc optimum D. Lucam habemus, ut qui dicit: Miratus est ipsum, h. e. laudabat, commendabat, græci enim pro honore sæpius *ἰσχυροῦς* posuerunt, Deut. 10. v. 17. 28. v. 50. 4. Reg. 5. v. 1. Consentit August. dicens: Mirando laudabat, quod aliis mirandum commendabat, & cum admiratione, non sine oblectatione & quodam fiat gaudio, Mirari hic utiq; est fide centurionis summè delectari. Addit autem Servator & juramento confirmat interposito, in Israele se non invenisse talem fidem, *ἢ οὐκ ἔστιν ἔτι ἐνταῦθα* tantam fidem, eînen so grossen Glauben. Quomodo autem hoc intelligendum? an fides hujus militis fidei Patriarcharum, Prophetarum & Apostolorum præferenda? Varii variè respondent, 1. Quidam putant loqui Dominum de presenti Israele: Non invenit in iis, quibus tunc predicabat, prius enim in Patriarchis, Prophetis & Apostolis invenerat, Ardens. Fidem intelligit presentis temporis, invenit enim majorem in antiquis. Alii, 2. intelligunt hîc tempus à quo concionari Christus incepit, *Es ist mir noch in meinem ganzen Predigamt kein solcher Glaub auch vnter den Jüden vorkommen*. Sed placeat (præ omnibus) Lutheri sententia, qui in Postill. Eccles. lat. f. 181. dicit absurdum non esse, si fides Centurionis suo modò major dicatur fide B. Virginis & Apostolorum, quia media & adminicula excitandæ fidei tot & tanta hic non habuit, quanta quidem Maria, Apostoli & alii Israelitæ habuerunt, credidit enim Andreas, sed postquam à Baptista ad Christum, agnum illum Dei, erat remissus: credidit Petrus, sed duce & quasi manu ductore Andrea: credidit Philippus, sed legendo scripturas, ad quas provocat, Joh. 1. credidit Nathanael, sed audito prius divinitatis Christi luculento testimonio, &c. quæ & similia media licet hic desint, credit tamen centurio sine Christi præsentia, ad solum verbum ac simplicem annutum, id quod omnino admiratione dignum est. ¶ *Observa hic, Fides Papiſtarum formata.*

I. Origenem rectè dicere: Deo nihil est MIRABILE, nec aurum, nec divitia, nec regna, nec principatus, nec cælum, nec terra, ista omnia sunt in conspectu

spectu ejus ut umbra, ut flos decidens & sicut nihil, nihil ergò mirabile in conspectu Dei, nihil magnum & preciosum nisi VNA fides, hanc miratur honorificans, hanc acceptabilem sibi aestimat. Equidem Pontificii, ut obtineant suum illud dogma, *de fide operibus formata, & extra opera profus informi, adeoq; verà quidem, at non justificante,* inter alia etiam confugiunt ad nostrum Centurionem, de cujus fide *Bartscius* Tom. 2. p. 290. dicit, illam bonis operibus fuisse consummatam, cum Christum ex fide adierit, cum eidem reverentiam condignè habuerit, cum extremè sese humiliarit, cum quidvis sperarit, cum modestissimè orationem suam proposuerit; cum ardentissimam charitatem famulo probarit & publicè fidem suam professus sit. Unde tandem Papistæ colligunt, *fidei,* etiam in justificationis actu, *vitam esse & animam* bona opera. At quis Pontificiis concedet effectum dare formam suæ causæ? imò quis eis concedet oppositum dare formam alteri opposito; qualia in justificationis actu sunt fides & opera? Eph. 2. v. 9. Rom. 11. v. 6. Gal. 2. v. 16. Fatemur ergò bona opera verè quidem fidei fructus certissimos esse, Gal. 5. unde etiam tam in leproso quàm in Centurione omninò magno numero hic se exerunt, attamen *fidei formale* esse bona opera, hoc falsissimum est, cum fides justificans suam habeat formam à fiduciali apprehensione Christi, Matth. 9. v. 2. hinc in nostro textu, licet commendare etiam Christus potuisset vel nobilitatem, vel potentiam, vel opes, vel reliquas Centurionis virtutes, fidem tamen eamq; solam commendat, ut sine qua huic placere Domino nemo potest, Heb. 11. ¶ Observa II. Malè quidem Jesuitas habere, quod Lutherus in verbis superius positis Mariæ fidem fidei nostri Centurionis postposuit, unde majestati Deiparæ multum detràhi putat *Bartscius*, qui propterea in Lutherum miris modis debacchatur, Tom. 2. p. 321. 328. Sed Lutherus seipsum satis superque excusat, quod scilicet ejus sententia cum nullo fidei articulo pugnet, ideoq; verba Christi retinenda ut sonant (de toto Israele) nec in gratiam vel angeli vel Sancti alicujus mutanda. Deinde, quod alià interpretatio (quæ quosdam in Israele hic excludit) nascatur ex carnali quodam & præpostero affectu erga Sanctos, qui eundem quidem Spiritum semper habeant; at non idem robur Spiritus, &c. Breviter, Maria, Apostoli & alii Sancti cum centurione nostro habuerunt quidem eandem fidem, hic tamen præter illam æqualitatem tam illustre specimen edidit Centurio, ut Apostolis & ipsi etiam Mariæ, citra ullam injuriam, possit præferri, vide Mehlfuhr. th. 103. & seqq.

Dico

Dico verò vobis multi ab Oriente & Occidente.]

Quemadmodum Roma Hierosolymæ respectu erat in Occidente & verò hic Centurio Româ in Judæam missus est, ita Dominus inde occasionem sumit, agendi de *vocatione Gentium*. Dico vobis, Glos. Interl. *predico*; ad exemplum hujus venient multi ab Oriente & Occidente, *synecdochè* speciei *pro omnibus quatuor mundi plagis*, Luc. 13. v. 29. Alii per *Orientem* allegoricis illas intelligunt Gentes, quæ in *ate infantili* convertentur, per *occidentem* verò illos, qui ad Ecclesiam *ate* venient *decrepitâ*. alii per *Orientales* intelligunt, qui illuminati statim transeunt, per *Occidentales* verò illos, qui pro fide passiones & persecutiones usq; ad mortem tolerant, *Orig. hom. 5. in diversos*: sed nimis longè hæc forsitan petita sunt. Addit: *Discumbent cum Abrahamo, Isaaco & Iacobo*, ubi gloria vitæ æternæ comparatur convivio; quia in illis potissimum hilaritati operam dâmus, & usitata est similitudo de mensa cœlicolarum, Luc. 22. v. 29. 12. v. 37. Adscribit autem cœli mensam Abrahamo, Isaaco & Iacobo, quia (1.) vitæ æternæ gloria nobis parata est *non ex lege*, ut Judæi putabant, sed in Christo semine illo benedicto *patriarchis promisso*, hinc Abrahami mensa, *non Moysi, non Aaroni*. Mentio (2.) fit patriarcharum, cum primis Abrahami, ut prosternatur Judæorum gloriatio de Abrahamo patre suo, Joh. 8. v. 33. cujus opera ut non faciebant, ita nec ipsius commensales in cœlis illos fore, Christus docet. Innuitur (3.) Patriarcharum mentione, illos tantum Abrahami & mensam & doctrinam habere, qui Christum cum Centurione sequuntur, cum autem Judæi Christum rejiciant, utiq; Patriarcharum etiam mensam fastidiunt, & alias sibi struunt mensas, de quibus David: *Fiat mensa eorum in scandalum*, Psal. 69. v. 23. *mensa enim eorum impleta sunt vomitu & sordibus*, Esa. 28. v. 7. Chem. *Recumbent, non carnaliter jacentes, sed spiritualiter quiescentes, non temporaliter potantes, sed æternè epulantes in regno Dei, ubi omnes jucundantur, omnes gaudent*, *Orig. hom. 5. in diversos. f. 125*. Addit autem Servator regni filios ejiciendos, h. e. Judæos, in quibus ante regnabat Dominus, Glos. Interlin. vel quibus principaliter Christus missus est, ad *pradicandum cœlestis regni Evangelium*, Lyra. Hi ejicientur in tenebras extimas, ut enim in regno lux & lætitia, ita extra eum tenebræ sunt & tanta miseria, ut dentes ibi strideant, qui hic de edacitate gaudebant, oculi ibi flent; qui hic illicita cupiebant, lingua ibi ardent, que hic detrahebant; & similiter cœtera membra secundum *varietatem vitiorum incurrent varietatem penarum*, Rad. Ardens. Vel

corporis & animæ tormenta hîc describuntur, *anima* per fletum, quia lachryma quidam animæ sanguis est, *corporis* verò per stridorem dentium. Pœnæ itaq; Judæorum reprobatorum sunt, abjectio, excœcatio, calamitates temporales, turbata & anxia conscientia, tandemq; expectatio horribilis suppliciorum æternorum, nisi pœnitentiam agant, quæ quidem si sequatur, de totali Judæorum rejectione hîc non agitur, nec omnes Judæi simpliciter damnabuntur, Roman. II. v. 1. & seqq.

An multi ab oriente & occidente ad nostram venerint Ecclesiam.

¶ I. Pontificii ex hac Christi Servatoris assertione tale quid concludunt; Ad quam Ecclesiam multi ab Oriente & Occidente conversi sunt hodieq; convertuntur, illa utiq; vera est Ecclesia, in cœlis cum Abrahamo, Isaac & Jacobo, discumbens. Atqui non per Evangelicos, sed per Catholicos multi in *America* & aliis exoticis locis sunt conversi hodieq; convertuntur, E. R. (1.) Hoc Christi vaticinium impletum esse per Apostolos, quorum doctrinam olim inter gentes propagatam, nos adhuc profiteamur, sicq; multi ab Oriente & occidente non ad catholicam sic falsò dictam, sed ad nostram Ecclesiam sunt conversi, Col. I. v. 6. & 23. Psal. 19. (2.) Concedimus in *America* & alibi quosdam converti à Papistis, at non quatenus Papistæ illi sunt, sed quia verum Baptismum administrant & sacram scripturam interdum prædicant, talia animæ famelicæ apprehendunt, neglectis stipulis Papisticis (1. Cor. 3.) ut & patrum nostrorum tempore factum. (3.) Quandoq; etiam in nostris Ecclesiis hoc impletur vaticinium, cum Judæi convertuntur & nosrates etiam ad Septentrionales exeunt, *Phil. Nicol. de regno Christi, l. I. c. I.* Tandem (4.) ad Ecclesiam semper multos converti debere falsum est, quia de ultimis temporibus Joannes refert, in illis non magnam gentium aggregationem, sed *numerofam* potius *defectionem* sperandam, Apoc. 18. & si multitudo Ecclesiæ veræ nota est, etiam Turcæ & alii infideles de multitudine poterunt gloriari, quid quod Christus toties prædixit, paucos esse & non multos, qui recta semitâ incedunt, Matth. 7. & 22. Luc. 12. & c.

Ecclesia errare potest.

¶ II. Veram etiam Ecclesiam labi, errare & planè degenerare posse, rejectio Judæorum, hîc prædicta & propter pertinacem illorum cœcitatem horribiliter impleta, satis superq; testatur; Unde mirum Pontificios hoc tam strenuè negare semperq; in ore habere illud: *Ecclesiam nec errare, nec erroribus obrui posse, cum fidelissimum habeat sponsum, cujus desponsatio æterna*; Ose. 2. & c. R. Sponsus Christus fidelis quidem semper & æternum manet, 2. Tim. 2. & 3. sed *fili regni* (juxta Christi phrasin

phrasin) deficere possunt, Sponsam Christum repudiare possunt, veram doctrinam deserere possunt, ideoque iusto Dei iudicio ex regno gratiæ & gloriæ exturbari possunt, sicq; primi fiunt ultimi, Matth. 20. Mehlfuhr. th. 101. ¶ Observa III. Malè infernales pœnas negari à Photinianis, qui gehennæ cruciatus usq; adedò nullos putant, ut in inferno ipsis esse dicantur illi, quibus vita æterna denegatur & coguntur in statu mortuorum æternam manere ita, ut non resurgant, sed in nihilum prorsus redigantur, hinc Osterod. in instit. Germ. c. 42. n. 5. mortem & infernum ita distinguit, ut mors sit mori, in inferno verò esse, mortuum esse & mortuum manere in æternum: reclamatione tota scriptura, cum primis tenebrarum extimarum acerbus ille fletus & dentium stridor hinc prædictus.

Infernus negari nequit.

Vade, fiat ut credidisti, & sanatus est, &c.] Basilius dicit, hic describi venaturam jucundissimam: Qui servi sanationem querit, Dominum reperit, dumq; servi valetudinem venatur, fit ipse Domino præda, servus est eger corpore & domini anima sanctificatur. Vide enim mirabilem huius ludi exitum, qui se putabat recipiendi Christum indignum, celo dignus factus est, tantò fit dignior, quantò magis se profiretur indignum, & dum aedes suas putat injurias, magis eas gratas reddit & honorificas, hinc conter adicente centurione non pergit ad domum Dominus, sed pergit Domini medicina, non visitat agrum Salvator, sed visitat sanitas Salvatoris, Ambr. serm. 90. p. 316. & sic probatur fides Domini, cum redit sanitas servi. Dicit autem Lucas legatos rediisse & sanum invenisse servum languentem (τὸν ἀσθενῆσαν & der zuvor gestõnet vnd geachzet hatte) sed mos est B. Luca ab aliis plene exposita brevitate, Gloss. Ordin. ideo Mattheus adscribit ipsi Centurioni, cui fit sicut credit, Servus revalescit subito & dicit Erasmus, in nonnullis exemplaribus hæc addi verba: Et reversus Centurio in domum suam, in illa hora offendit famulum suum sanum. ¶ Nos in historia Le-

*Fundamenta
vera precatio-
nis.*

profi nec non huius gentium crediturarum PRINCIPIS (ita nominat Centurionem Hilarius con. 7. in Matth.) observemus vera veræ precatiois fundamenta, quæ sunt (1.) Christi possessus, et sanguis thuri/sanare valet & sanat. (2.) Christi bonitas, quæ ultrò adventum hinc spondet & auxilium, et vult thuri/ (3.) Christi veritas, dixit Volo & factum, dixit vade ad famulum jam sanum, & impletum, &c. Concludamus bellâ precatioe ex hoc. Evang. collecta: Te ergò fili Dei, qui de altitudine cali, quasi de excelsò monte descendisti, ut lepram peccatorum nostrorum sanares, Te, inquam, suppliciter invocamus & rogamus, extende super nos beneficam ma-

num tuam & absterge omnes sordes nostras, remitte nobis omnia nostra peccata propter misericordiam tuam, mitiga in hac vita omnes calamitates & miseras tam publicas quam privatas, ne projicias nos in tenebras exteriores cum Iudeis incredulis, sed da nobis locum in mensa regni tui, in qua Abraham, Isaac & Iacob, & multi alii electi tui accumbunt, ut pro omnibus beneficiis tuis tibi gratias agere & te in omni aeternitate celebrare possimus, qui cum P. & S. S. vivis & regnas Deus benedictus, per omnia Secula seculorum, Amen.

Dominica IV. post Epiphanian.

Evangelium, Matth. 8.

Hic cum esset ingressus navim, secuti sunt eum Discipuli sui. Et ecce motus magnus factus est in mari, adeo ut navis operiretur à fluctibus. Ipse vero dormiebat. Et accedentes Discipuli excitarunt illum, dicentes: Domine serua nos, perimus. Et dicit illis, Quid timidi estis, exigua prae diti fiducia? Tunc excitatus increpavit ventos & mare. Et facta est tranquillitas magna. Homines vero admirabantur, dicentes: Qualis est hic? quia venti quoque & mare obediunt illi.



Sex. 2. v. 19. ubi Jehova altissimus promittit, quod Ecclesiam N. T. desponsare sibi velit in justitia & iudicio, in misericordia & miserationibus, &c. ibi versu 16. hæc præmittit verba: Et erit in die illa, inquit Dominus, vocabit